



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,
Explanatio Catechismi Catholici**

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

Praxis. Hoc est: Eorum, Quæ Ex Doctrina Christiana Tanquam Fructus
Quidam Salvberrimi oriuntur, pia & quotidiana exercitatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397

P R A X I S.

Hoc est:

E O R V M,
 QVÆ EX DOCTRI-
 NA CHRISTIANA TANQVAM
 FRVCTVS QVIDAM SALVBERRI-
 mi oriuntur, pia & quotidiana
 exercitatio.



P S A L M O. I I O.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

**PIO CHRISTIANÆ
NÆQVÆ PLEBIS INSTITV-
ENDÆ STUDIOSO CATE-
CHISTÆ.**

Quandoquidem non auditores legis, sed factores iusti sunt apud Deum, deinceps ostenditur quemadmodum se quisq; in fide, spe, & charitate re ipsa exercere, & sacramenta Catholico ritu, vtiliterq; suscipere debeat: deinde quomodo (quod iustitia Christiana requirit) audita opere complere, atq; ita totam doctrinam Christianam summam, in suam vtilitatem conuerte possit. Quamobrem primò tibi curæ sit, studiose Catechista auditores tuos serio commonefacere, ijsq; data occasione persuadere, vt eorum, quæ summatim in Catechismo explicata sunt, vsum sibi faciant quotidiana exercitatione familiarẽ. Deinde adiectas in tuam, tuorumq; auditorum magnam cõmoditatem passim breues, sed tamen necessarias annotatiunculas, rudi plebecule fusius explicare memineris, & ad eas diligenter obseruandas omnino conatu inducere.



MODVS PIE A SOMNO CON- SVRGENDI.

VT MANE TE GERIS?



EXPERGEFACTVS mox
mentem eleuo in Deum,
gratias agens, mihi vnā
adhuc diem ab eo cōcef-
sam esse qua & pœnitere,
& diuinæ suæ maiestati
inferuire possim, vt De-

Psal. 26.

uid cum aiebat *Deus Deus meus ad te de luce vi-
gilo*, quare è vestigio me signo sanctæ crucis
†munio, & inter vestiendum dico.

† In nomine Domini mei Iesu Christi
surgo, qui me precioso sanguine suo rede-
mit, is me ab omni malo corporis & animæ
defendat, quodque mihi nunc, & post hanc
vitam bonum & salutare est, largiatur, A-
men.

His subijcio Symbolum Apostolorum,
vel alias orationes, aut quippiam spirituale
mecum ipse meditor, dum me ve-
stio & lauo.

Quid praterea?

TVM suo loco me ad genua prouoluens,
dico.

Tibi Pater cœlestis gratias ago per Iesum
Christum filium tuum Dominum meum,
quod hac nocte me ab omni malo & pericu-
lo liberaris. Pater noster. Aue Maria.

† Deinde sic oro. Obscuro pijssimè Deus,
custodi me hodie, ab omni malo, & ab ini-
micis meis, vt omnia mea tibi sint accepta &
grata. Pater noster. Aue Maria.

Denique adijcio illud. In manus tuas be-
nignissime Deus corpus & animam, meaq;
omnia commendo, similiter patrem & ma-
trem N. & N. omnesque pro quibus orare
teneor. Angelus tuus bonus mecum sit, ne
vllam diabolus in me habeat potestatem,
Amen. Pater noster. Aue Maria, Credo, de-
cem Dei & quinque Ecclesiæ præcepta. In
honorem diuæ virginis salue Regina. Item
semel Pater & Aue in honorem Angeli tu-
telaris.

Quid amplius?

PRimum quæro *regnum Dei & iustitiam e-*
ius, spe bona mihi vitæ necessaria non de-
futura. Itaque quotidie me ad templum
confero, sacrum integrum vel ex parte au-
diturus, si nullum fiat, nihilominus templū

Ll adeo,

†
Praxis hæc
non à Ca-
techistis
tantum sed
à con-
fessarijs
ac parenti-
bus sæpi-
simè incul-
canda.
†

adeo, nisi aut valetudo, aut graues occupationes me detineant, aut officio & obedientia maiorum prohibeat.

II.

MODVS QVOTIDIE VTILITER
audiendi sacrum.

Quonam modo sacrum missæ officium audis?

Imitor sacerdotem sacrificantem, quia Confessione initio sumpto primum orat, ac deinde sacram scripturam recitat, quibus præmissis veluti iam paratus, hostiam offert salutarem, quam etiam ad extremum sumit.

Quonam pacto id facis?

Præparatio.

Primò summa cum animi demissione & pietate vna cum sacerdote confessionem pronuncio generalem, absolutionem accipio, qua leuia peccata delentur, modo id fiat animo ad pietatem excitato. Deinde vique ad Sanctus lego vel dico pias quasdam orationes, vel rosarium, vel aliquid meditator de passione Christi pro animi affectu, vel denique ad ea, quæ à sacerdote leguntur, aduerto.

Oblatio.

Secundò à sanctus vsque ad Agnus Dei, offero vna cum sacerdote Deo patri hoc sacrificium, mecumque aliquid de passione
Do-

Domini cogitatione percurro, vt de crucifixione, sanguinis effusione, & morte, quorum inter sacrificandum memoria renouatur. Deinde offero Christum passum & mortuum pro me, ijsque omnibus quibus id ex officio debeo, itaque Deum patrem rogo, vt hanc vnigeniti Filij sui mortem in meorum omnium delictorum remissionem accipere dignetur mihi que gratiam largiatur recte pieque viuendi, in virtute progressum faciendi, mea que omnia ad ipsius nominis gloriam & meam salutem conferendi; similiter & pro parentibus propinquis, preceptoribus, benefactoribus, ijsque omnibus, qui mihi aliqua sanguinis affinitate coniuncti sunt, & nominatim pro ijs, quorum mihi cura commissa est: neque pretereo vita functos, aut patriam aut Catholicam Ecclesiam, quin & pro ijs preces facio, qui me verbo vel opere laeserunt, aut male erga me affecti fuerunt aut sunt: Si qua insuper necessitas Reip. aut cuiuspiam priuatæ personæ mihi nota sit, eam Domino commendo: In hoc sacrificio denique omnem sollicitudinē, curam & necessitatem Deo, qui solus omnes iuuare potest, commendo, per Iesum Christum filium suum mihi presentem.

Tertiò ab agnus Dei ad vltimam vsque *Communio.*
orationem, me ad spiritualem communio-

Ll 2 nem

nem præparo, Deumq; rogo, vt omnia mihi peccata condonet, meique cordis domicilium paret, & ab omni labe purget, illudque varijs virtutum floribus & peristromatibus exornet. Tandem summa cum animi demissione precor, vt per os sacerdotis in animam meam ingrediatur, me visitet, iuuet, peccata tollat, meque imbecillum corroboret, neque vnquam à me discedat. Postremò actis gratijs, & à sacerdote benedictione accepta, ad mea negotia in nomine Domini, me confero.

*Gratiarū
actio.*

I I I.

*QVARE QVOTIDIE SACRUM
audis?*

Primò quidem cum in dies singulos diuinis beneficijs fruamur, æquum est, vt ei quotidie gratias, quam maximas possumus agamus.

2. Deinde quia ex fragilitate humana, quotidie in peccata labimur, & periculo semper expositi sumus mortiferè peccandi, & leuiter quidem commissa sacrificium misericordie obliterat, à lethalibus verò seruat: Est enim remedium efficax ad impetrandam Dei gratiam, dolenter præterita peccata confitendi, & deinceps ab ijs abstinendi.

Tertiò, datur gratia rectè viuendi, conferretur

fertur auxilium viuis omnibus atque defun-
ctis. Quia sacrificium hoc efficacissima est
oratio propter Christum instar mortui præ-
sentem, ad quæuis tum nobis, tum alijs, im-
petranda.

Quartò solet Dominus, etiam in rebus
temporalibus, illi magis fauere, quem videt
ante omnia spiritualium rerum, & diuini
honoris curam gerere.

Quintò in sacro missæ officio non solum
offertur Deo Patri à sacerdote, & à præsentibus
cum sacerdote, Christi Domini corpus
& sanguis in verum sacrificium, pro sua salu-
te, sed quotquot adsunt, digneque se parant,
spiritualiter corpore Domini reficiuntur
per os sacerdotis, tanta enim virtus est istius
sacrificij vt quicumque præsentem intentio-
nem suam, cum sacerdotis intentione con-
iungunt, & sacrificij participes esse cupiunt,
simul cum sacerdote de sacrificio mandu-
cent, cibi que spiritualis fructum percipiant,
non secus ac membra corporis, ad quæ cibus
per os transmittitur: Neq; enim existiman-
dum sine spirituali refectione relinqui
eum, qui missæ sacrificio, prout
par est, adfuerit.

DE ROSARIO BEATÆ
VIRGINIS.*Quid est rosarium?*

Est certus numerus selectissimarum pre-
cationum; verbi causa, Symboli Apo-
stolici, Dominicæ orationis, & Angelicæ sa-
lutationis, quas vna cum meditatione præ-
cipuorum fidei Catholicæ capitum, ad glo-
riam Dei, eiusque Matris sanctissimæ & in-
temeratæ virginis memoriam recitamus.

Cur rosarium vocatur?

Quemadmodum ad festa contexenda,
Regum virginumque capitibus impo-
nenda, rosæ pulchræ & odoriferæ aptissima
sunt; ita Regi gloriæ, & cœli Reginae flores
gratiosiores, quàm hæc, offerre non possumus,
quamobrem non temerè hanc orationum
seriem, rosarium nuncupamus.

Quisnam modus rosarium legendi?

Nonnulli sex decadibus, & tribus paruis
granis rosarium conficiunt, orantque
septies orationem Dominicam, salutationem
Angelicam verò ter & sexagies, pro numero
annorum quibus Dei genitrix, iuxta quo-
rundam opinionem vixit in terris: Alij quo-
rum

rum communior est modus, quinque decibus hanc virgini coronam expediūt, quod ter repetitum magnum rosarium, seu psalterium dicitur, & minimum semel hebdomadatim recolunt, qui fraternitati rosarij nomina dederunt, ac proinde participes fiunt bonorum omnium quæ in vniuersa fraternitate fiunt, imò & in toto laudatissimo ordine Prædicatorum.

Quomodo recitandum est rosarium cum mysteriorum commemoratione?

POtest id fieri, absque præiudicio modi conuenientioris, vt initio Symbolum fidei, tanquam precatationum, operum, ac meritorum omnium nostrorum, radicem ac fundamentum recites: deinde in granis maioribus singulis orationem dominicam, ac in minoribus angelicam salutationem. Interim verò dum hæc ipsa ore profers, mens mysterijs expendendis sit intenta.

V.

MYSTERIA QVINDECIM DEI
ac Domini nostri Iesu Christi, piè dum oratur rosarium meditanda.

Quinq; gaudij plena mysteria.

ANnunciatio incarnationis Christi.
Vsitatio Elisabeth.

LUC. I.

LUC. I.

Ll 4 Na-

- Luc. 2.* Natiuitas Christi.
Luc. 2. Oblatio Christi in templo.
Luc. 2. Inuentio pueri Iesu inter doctores.

Quinque mysteria doloris?

- Luc. 22.* **O** Ratio Christi in horto.
Ioan. 19. Flagellatio.
Matt. 27. Coronatio.
Ioan. 19. Crucis baiulatio.
Matt. 27. Crucifixo.

Quinque mysteria gloriosa?

- Marc. 16.* **R** Esurrectio Christi.
Act. 1. Ascensio Christi.
Act. 2. Spiritus sancti missio.
Can. 8. Mariæ virginis assumptio.
Can. 4. Eiusdem coronatio.

Notandum primò extrema duo gaudij mysteria alijs duobus commutari posse, ut loco oblationis in templo, circumcisionis ac sanctissimi nominis Iesu impositionis vice inuentionis pueri Iesu in templo, aditum regum, gentium videlicet primitiarum in quibus gentiles nos ad veræ lucis agnitionem vocati sumus, & eorum deuotam adorationem contemplemur.

- Luc. 2.*
Matt. 2.

Secundò, non vnumquodque nudum mysterium, sed & quæ præcesserunt, quæque secuta sunt, cõtemplanda. Oratio Christi in horto (verbi gratia) totam complectitur

tur cœnam, hoc est, commestionem agni paschalis, pedum ablutionem, sanctissimi sacramenti institutionem, paternam admonitionem Christi, ac horrendas minas ad terrendum Iudam à concepto scelere, eiusdem Iudæ ingenium pertinax ac cor obstinatum, prolixum sermonem seruatoris nostri ad mœstos discipulos plenum consolationis, tristem in hortum ingressum: quæ omnia ipsam orationem præcesserunt, cum hac verò concurrerunt, vel cōsequuta sunt, quomodo suorum pius Dominus, inter angustias non sit oblitus, sed ipsos visitarit, monuerit, instruxerit: In agonia constitutus toto corpore guttatim sudarit sanguinem, ac nihilominus intrepidus hostibus aduentantibus obuiam iuerit, illos solo verbo in terram prostrauerit, à Iuda osculo proditus summo impetu absque misericordia ac humanitate omni compræhensus, suis etsi paratis, defensionem inhibuerit, capientes se suauius monendo corripuerit, ac instruxerit; inimico resectam aurem potenter benigneque reddiderit curaritque, & cum se traderet rabidorum potestati, verbo furorem eorum compescuerit, ne dilectis Apostolis, eo tempore haud satis firmatis quicquam mali inferre possent. Eadem meditandi ratio in alijs mysterijs tenenda.

Tertiò, non omnia simul quæ ad mysterium

L1 5 rium

rium aliquod referuntur perpendenda esse. Hoc siquidem temporis angustia non fert, sed nunc hoc, nunc illud, pro ut Spiritus sanctus, & propria cuiusq; deuotio suggererit.

Quartò, alienum non esse à fidelium deuotione, ad recolenda quinque præcipua Christi vulnera rosarium decurrere, quod & simplicioribus seruatu facile est.

Postremò vtilissimum fuerit cum rosarium recitaueris hoc vel simili modo offerre.

✠ *Modus offerendi rosarium.* Suscipe ô beata virgo Maria has nostras, etsi indeuotas preces, quas in commemoratione incarnationis Christi dilecti filij tuæ Domini nostri, visitationis item tuæ, natiuitatis Domini, oblationis ac inuentionis in templo effudimus, easque vnico seruatori ac Domino nostro Iesu Christo offerre; excusa pro materna pietate quicquid nos, indigni quidem, sed extorres, & egeni filij tui delinquimus: precibus & meritis tuis, & per hæc ipsa iam commemorata mysteria impetra (hic infere N. & N. pro quibus oras & quod obtinere niteris) per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuunt & regnant in sæcula sæculorum, Amen.

In oblatione rosarij dolorosi sic mysteria erunt commemoranda.

✠ Suscipe ô beata, &c. preces, quas in commemoratione orationis tristitię & sanguinei sudor-

sudoris in horto, flagellationis, coronationis, crucis baiulationis, & mortis dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi effudimus, easque vnico, &c. vt supra.

In rosario glorioso. Suscipè ô beata, &c. preces, quas in memoria gloriosæ resurrectionis, triumphalis ascensionis, missionis Spiritus S. tuæ quoque ô mater Dei omni gaudio prosequendæ assumptionis atque coronationis effudimus, easque vnico, &c.

V L.

MODVS VTILITER PRECANDI.

Quis mihi modus utiliter orandi seruandus?

Primò remouendum quicquid ipsam orationem impedit, vt sunt peccata, & peccandi propositum, cordis inquietudo, ac impetrandi diffidentia, mentis euagatio ac denique in proximi necessitate, cum nos deprecatur leuanda, cordis duricies, surditas, atque animus ad calamitosorum clamores ac gemitus inexorabilis.

Secundò assumendum quicquid deuotioni, quærendæ augendæque vel necessarium, vel oppidò expediens fuerit, veluti sunt vita sancta, orationis, ieiunij, ac operum misericordiae continua exercitatio, negotiorum

Esa. 59.
Prou. 21.
Matth. 7.

rum quantum fieri potest, dum orandum est obliuio, instructionum quæ in hoc libello præscribuntur diligens obseruatio, frequens orationum eiaculatoriarum ante & post-opus & in opere ipso vsus, opera pœnitentiæ, vt sunt humi cubationes, cilicia, zonæ cilici-næ, disciplinæ, & id genus aliæ corporis casti-gationes, quæ vtilissimæ sunt, sicuti & san-ctorum exempla, & sacræ literæ nos docent.

Tertiò, longanimitate opus est, qua patienter perseueremus donec quod secundum Deum petimus, obtineamus.

V I I

MODVS AVDIENDI CVM FRV-
CTV VERBVM DEL.

*In audienda sacra concione quomodo
te geris?*

1. Theff. 2. **P**rimò, ad templum veniens non quasi profanum quid auditurus, ita te habes, sed ac si Deus (quod verè fit) mihi per fami-lum suum loqueretur.

Matth. 18. **Secundò,** templum ingressus, ante omnia precor peccatorum remissionem, vt vultu-lum ad suscipiendum diuini verbi liquorem purgetur, deinde vt mihi aperiantur aures cordis, vt audiam, & oculi mentis, vt vide-am, mihiq; accommodem ea quæ ibi di-cuntur.

Tertiò, firmo proposito statuo perficere, *Psal. 118.*
 ea, quæcunque mihi ea concione dicta intel-
 lexero.

Quartò, animo collecto, atque præsentem *Galat. 4.*
 concionatorem audio, non ut sua, sed Dei
 verba promentem.

Quintò, ne si statim templo egrediar, me- *Matt. 13.*
 que ad fabulas audita concione conuertam,
 effluat quicquid instillatum fuerat; in eodẽ
 loco non nihil in oratione subsisto, & auditi
 verbi præcipua cogito, ea maximè, quæ mi-
 hi conueniunt, repeto, modumque mecum *Rom. 1.*
 exquiro ea perficiendi. *Matth. 7.*
Iac. 1.
Non enim auditores
legis iusti sunt apud Deum sed factores legis iu-
sificabuntur.

V I I I.

DE CONTRITIONE PRIMA POE-
NITENTIÆ PARTE.

*Quomodo de peccatis meis dignam agam
 pœnitentiam?*

REcè pœnitere non vtile modo, sed & *Luc. 13.*
 per necessarium est, ac proinde non cõ-
 festim, vbi in mentem venerit confessio, sa-
 cerdotem adeas, sed conscientiam tuam de-
 bita prius diligentia perscruteris; quam ad-
 rem quære tibi vel domi, vel in Ecclesia lo-
 cum huic negotio oportunum, in eoque ge-
 nibus flexis Deum ut tua peccata agnoscas,
 precare, in hunc vel similem modum.

Ora-

Oratio.

✠ **D**omine Iesu Christe vnica salus & libertas mea, id abs te tota mente precor humillimè, vt cor meum gratia Spiritus Sancti collustrare digneris, quo perfectè cognoscā, penitusq; conuellam & extirpem, quicquid à me commissum vel omissum est, quod tua diuinæ maiestatis oculis displicet.

Facta precatione, memoria deinde repute, quicquid ab vltima ritè legitimeque peracta confessione, aut in decem decalogi, aut in Ecclesiæ quinque præcepta deliquisti, quæ in re sequenti tabula iuuari poteris.

I X.

TABVLA QVA SVB VNVM ASPICITUR subiiciuntur ea peccata, quæ serme vulgaritiosa consuetudine in decalogum committi solent, est autem quasi speculi loco, in quod quisquis intuetur, seipsum noscere, de peccatis dolorem concipere, confessionem cum spe fructus institueret, ut tamq; & mores in melius referre condiscit?

Peccata contra primum præceptum.

Contra fidem?

1. **A**postasia seu à fide Catholica, ad Infidelismum, Mahumetismum, Gentilismum defectio.

2. Do.

2. Doctrinæ peregrinæ, hoc est, in Ecclesia Catholica, neque notæ, neque annunciata, sed nuper inuentæ, adhærere.

3. De vno aut plur. fidei articulis dubitare.

4. Fidei Catholicæ contradicere, seu verbis eam quouis modo siue seriò, siue iocò oppugnare.

5. Curiose scrutari, & disputare de articulis fidei, tanquam qui velit ea solum credere, quæ ratione probantur.

6. Hæreticorum ministerio sacramenta suscipere: Hæreticorum conciones audire, eorumque ritibus, ceremonijs ac cultui sese immiscere.

7. Verbo aut signo fidem pernegare.

8. Idololatria cuius illa generis fuerit.

9. Hæreticorum libros siue manu, siue typis descriptos, picturas lege vetitas coemere, diuendere, venum proponere, domi suæ retinere, legere, prælo committere, compingere, quoquo modo ijs, qui talia faciunt cõfiliio aut auxilio esse: denique cum possis & ex officio debeas, non inhibere.

Contra spem?

10. **D**E misericordia Dei nimium præsumere, eaque confidenter abuti, ac temerè atq; audacter peccare quia Deus est misericors, vel præsumere de venia sine vera pœ-

ra pœnitentia, aut de vita æterna sine meritis.

11. Desperare de consequenda beatitudine, vel medijs ad eam necessarijs, videlicet de venia peccatorum, de commendatione vitæ, de virtute consequenda, & exercenda in bonis operibus.

12. Murmurare contra Deum, cum non dat quod petimus, ipsius visitationem, flagellam, & correptionem, inuitè & cum tardio sustinere.

13. Pusillo & impatienti esse animo in aduersis.

14. Non fidere Deo cum necessitas aut tribulatio premit & instat.

15. In angustijs, posthabito Deo, spem suam in opibus, hominum fauore, & alijs quibuscunque collocare, siue solatium operumque ab ijs postulare.

16. Cum dæmone quoquo modo siue implicitè, siue explicitè pacisci, vel quod petitur est eum inuocare.

17. Superstitiosè signa, aut nomina incognita, benedictiones, herbas, verba vel id genus alia diabolica media adhibere, oculorum morbos, digitorum inflationes, tubera, febrem, aliaque incommoda hominum acientorum depellendi gratia: Item ne gladio, sclopo aut alio quouis armorum genere lædi possit.

18. Di-

18. Diuinitio cuiuscunque fuerit naturæ.

19. Magia.

20. Ad Magos, Ariolos, diuinatores, Necromanticos adire, de occultis (verbi gratia quis furtum commiserit) interrogandi consilium auxiliumque petendi, morbos, amorem aut odium conciliandi, aut cuiuscunque demum alterius rei causa. Qui enim ista faciunt socij sunt dæmoniorum.

In eodem albo ponendi sunt illi, qui mulierculas consulunt, quæ nescio quo metiendi genere, ex contractione & dilatione velaminis muliebris, morbo affectis, quis sanctorum ab ijs honorari velit, se explorare dicunt. Istiusmodi non temerè de magia passim suspectæ habentur, quantumuis se consulentibus, ad pia loca peregrinationes, & certas aliquas oblationes indicant. In quos nisi magistratus pro merito animaduertant, timendum ne vt veneficarum socij, à Deo tandem aliquando seuerè puniantur.

Quid de suis perstitiosis quibusdam mulierculis, & eas consulentibus, aut non punientibus sentiendum.

Contra charitatem?

21. **V**Xorem, liberos, parentes, domum, agrum, seipsum aut quamcunq; demum aliam creaturam, aut æquè aut plusquam Deum amare aut timere.

22. Quod bonum sanctumq; est, non syn-cera intentione, sed ob inanem gloriam, præmium, timorem, aut laudem humanam operari.

Mm

23. DE-

23. DEVMODISSE.

24. Acedia, siue horror quidam erga DEVM ac diuina, tædium ac tristitia de re spirituali.

25. Contemnere Deum: Quod facitis, qui idcirco aliquid committit, quod à Deo interdictum; aut omittit, quod nouit esse præceptum.

26. Dei donis; vt sunt robur, pulchritudo corporis, diuitiæ, prudentia, artes, abutitur, quod est crimen ingratiudinis erga Deum.

Huc referuntur ex sex peccatis in Spiritum sanctum, quatuor sequentia?

27. **A**gnitam veritatem impugnare, tam videlicet quæ aut vitijs aut hæresibus uersatur.

28. Inuidere fraternæ charitati, hoc est, existari quod ab hominibus honoretur Deus, eiusque maiestati cum religione & pietate seruiatur, quodque in virtute proximus progressum faciat.

29. Obstinato corde esse, quales sunt, qui de industria fugiunt ea quæ à peccando deterrere, cauent sollicitè ne audiant, vbi in mentem veniat, quod eorum libidini uersatur, vt sunt conciones sacræ, nouissimorum memoria, Dei in peccatores iudicia,

cia, denique qui Dei comminationes contemnunt.

30. Finalis impœnitentia.

Peccata omissionis?

13. **V**aldè negligentem & socordè esse in tradendis, discèdis, intelligendisq; fidei nostræ mysterijs: quæ negligentia infinitorum malorum radix est & origo, cum vero notabilis, est magnum peccatû, & quandoque mortale censendum, vt si quis nesciat necessaria ad salutem, qualia sunt Pater noster, Credo, decem præcepta decalogi, & quinque Ecclesiæ.

Nota malorum originem.

32. Confessionem fidei omittere, cum aut Dei gloria, aut proximorum ædificatio postulat.

33. Debitum Dei cultum ob formidinem irrisorum, oblocutorum, timorem humanum, aut quamcunq; aliam causam, quæ ad excusandum nec sit, nec putetur esse Deum timentis conscientia sufficiens, omittere.

34. Statis orandi horis præsertim mane & vesperi, & cum solenne omnibus orandi signum datur, verbi gratia, pulsus ad salutandam virginem matrem, aut omnino nihil, aut negligenter orare.

Mm 2 CON-

CONTRA SECVNDVM PRÆ-
CEPTVM.

1. **S**ive asserendo siue promittendo, quod falsum est, iureiurando confirmare.
2. Id quod falsum esse putas, & si forte verum sit, iuramento asserere.
3. Cum est res dubia, nec debita adhibetur diligentia, vt veritas cognoscatur, & nihilominus super ea re iurare.
4. Interposito iuramento promittere, cum non habes animum id, quod promissum præstandi.
5. Quod iurando licitè promisisti, & adimplere teneris, non implere.

*Periurium
semper
peccatum
mortale
vnico casu
excepto.*

6. Prædicta periuria omnia semper mortalia sunt, siue iocò illa & rebus leuissimis, siue seriò & grauibus adhibeas: Vnicus solet excipi casus, si videlicet homini, qui minime iurare consuevit, præter intentionem, nec quid dicat aduertenti, post prolatum aliquod mendacium, iuramentum excidat, si enim consuevit quispiam identidem iurare, nec prauam illam consuetudinem ponere laboret, etiam cum linguæ lapsu, nec aduertens falsum esse quod dicitur, iurando stabilitur, à peccato mortali non erit immunis.

In quintò quoque casu, non sine probabilitate quidam opinantur, non implere le-

uissimum quid, quod iuramento promissum sit, non esse nisi veniale, alias mortale.

Est verò iurare ad stabiliendam veritatem siue assertionis, siue promissionis, Deum in testem vocare, vt cum dico, per Deum ita est vt dico, vel volo, quod promitto præstare, per animam meam, Deus sit mihi testis, ita sit mihi Deus propitius, vel cum execratione, non sim saluus, deuqueo me diris, per am, &c.

Vt multiplex huius præcepti transgressio *Quomodo quidam vulgares loquendi modi sint intelligendi.* facilius euitetur, ex re foret populum docere, vulgares quosdam modos loquendi, vt sunt certè, sanè, verè, reuera, profectò, per fidem, in veritate, quod gallis est familiare & similia significationis eiusdem, ita intelligenda, vt sint rei quæ dicitur, fidem, vehementius quidem attestantis, sed non Deum testem inuocantis.

6. Iurare temerè, quod fit cum nulla est iurandi necessitas, vt in rebus leuibus aut iocosis, nec refert credatur nec ne quod dicitur: aut cum res graues quidem sunt, sed etiam non iuratis creditur; vel denique cum inter iurandum conueniens reuerentia non habetur. Peccatum hoc veniale tantum est, cum nec veritas, nec iustitia deest.

7. Iurare quod malum est, facere: aut quod bonum, omittere, hoc pro ratione boni aut mali vel veniale vel mortale est peccatum.

Mm 3 Vene-

8. Venerabile Dei aut sanctorum nomen, absque reuerentia temerè proferre, maximè si id frequenter fiat.

9. Blasphemare; id est verbo, vel facto de honore Dei aut sanctorum detrahere. Vt si dicatur Deus esse iniustus, aut ignorare, quæ hic geruntur, &c.

10. Statuas ac imagines Christi aut sanctorum contumeliosè tractare vel exurere. E-

Niceph. li. 10. ca. 29. quidem grauius à Deo mulctatus legitur Iulianus, auunculus Iuliani Apostata quædam in vasis sacris, & alius quidam qui ad plam qua sacrum altare operiebatur minuit.

11. Per Christi vulnera, passionem, & sacramenta, per sanctos omnes communiter, aut per huius vel illius particularis plagam aut gratiam mala imprecari, quod vix sine grauissimo scelere contingit.

In mulieribus ac pueris blasphemias non ferenda. Notent parentes. Animaduertendum, etsi hoc peccatum omnes omnino Christianos deceat, in mulieribus tamen longè turpissimum est, & pueris, quos à talibus imprecandi modis parentes compeſcant, nisi propter conuenientiam à iusto malorum vindice damari velint.

12. Non reddere vota, aut non suo tempore.

XII.

CONTRA TERTIVM PRÆ-
CEPTVM.

1. **D**iebus sacris laborare, seu opera ser-
uilia facere, aut alijs ea præcipere.
2. Absque necessitate festis diebus vende-
re aut emere, aut alia ab Ecclesia prohibita
exercere.
3. Non integrum missæ officium audire.
4. Lusibus, conuiujs, epotandis poculis,
ductandis choreis, aut simili quouis exerci-
tio, diem sacrum malè transigere.
5. Absque deuotione sacris officijs & con-
cionibus interesse.
6. Contra decorum & cum scandalo in
ædibus sacris obambulare, confabulari, huc
illucque circumspectare.
7. Ieiunium, cum præceptum est absque
causa iusta soluere, hoc est, plusquam semel
in die refici, vel horam ieiunio soluendo
præfinitam anteuertere, vel cibis lege veti-
tis uti.

XIII.

QVOD DE QVORVNDAM VES-
PERTINA COLLATIONE
SENTIENDVM.

Qui ad vesperam sibi aut familiæ, quos
nec senium, nec debilitas, nec alia cau-

Mm 4 sale-

sa legitima, à stata ieiunij lege eximit, frigidos pisces (vt aiunt) apponi curant, ac tum demum se bellè ieiunasse persuasum habèt, si mappa non totam mensam contegat, & aut nulla, aut non consueta cibi benedictio

Res nimirum risu digna si in peccantiū interituri dore quis possit.

Pro 19. Non habèt Patres familias excusationē.

adhibeatur, fortè etiam manus non lauentur, hi inquam non ieiunant, sed Ecclesiam eiusque salutarem legem ludunt, & rident, veruntamen audiant, & perhorrescant quod scriptum est. *Parata sunt iudicia peccatoribus, & mallei percutientes stultorum corporibus;* neque enim peruetus consuetudo, neque familiarium insolentia, Dominos & Patres familias illorum voluntati acquiescentes excusabit apud Deum.

8. A certis cibis, statutis diebus non abstinerere.

9. Tempore præfinito confessionem, aut sacrosanctam Eucharistiæ sumptionem, negligere.

10. Sacrosanctum Domini corpus, aliisque sacramenta indignè, aut ministrare, aut accipere. Hoc inter cæteros faciunt, qui aut non confitentur, aut non rectè; quique sacramentum, quodcunque etiam matrimonij, in mortali peccato, sine contritione scilicet enter suscipiunt.

In his principatum obtinemus (pro dolor) nos sacerdotes, qui cum palam sumus vinolenti, iracundi, percussores, auari, & (quod

(quod penitus intolerabile) sceleratissimo concubinarum polluti ac infames; concionari, celebrare, aliaque Ecclesiastica munia obire, nec erubescimus, nec horremus, aut nulla penitus, aut non ea, quæ plebi scandalo publico offensæ testata sit, præmissa pœnitentia.

Væ superioribus nostris, quibus S. Synodus Tridentina præcepit, ne permittant publicè & notoriè criminosis, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse.

*Ses. 22.
Decr. de
obser. in
celebr.
missa.*

Porro quid faciendum sit sacerdoti, qui fortè in peccatum lapsus est, quando non est confessarij copia, & missæ celebrationem differre ob graue scandalum nequit, ex ijs disce, qui casus conscientia explicant.

11. A reservatis sibi casibus absoluerè.
12. In excommunicatione ab interdictis non abstinere.
13. Ecclesiam aut Cœmeterium sanguinis aut seminis effusione polluere ac profanare.
14. Vim inferre, lædere, percutere clericum (qui hoc faciunt excommunicantur in bulla cœnæ Domini.
15. Contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam, à clericis exactiones, vectigalia & alia similia petere, ad hæc consilium aut opem conferre.
16. Negligere pro se aut pro suis sacramentum baptismi, confirmationis, aut extremæ vnctionis.

27. Beneficiati, & clerici ordinibus sacris constituti, si omittunt horam, aut horas canonicas, aut voluntariè distrahuntur, peccant mortaliter: Beneficiati insuper tenentur ad perceptorum fructuum aliquam restitutionem.

X I I I I.

C O N T R A Q U A R T V M P R A E -
C E P T V M.

1. P R a e p t o r i b u s , M a g i s t r i s , D o m i n i s ,
P a t r i b u s a c M a t r i b u s f a m i l i a s , a c a l i j
s u p e r i o r i b u s i m m o r i g e r u m e s s e .
2. D e b i t u m i l l i s h o n o r e m d e b i t a m q u e
r e u e r e n t i a m n o n d e f e r r e .
3. I l l o s c o n t e m n e r e , o b l o q u i i l l i s , a u d i r e
l i b e n t e r c u m d e i l l i s m a l a d i c u n t u r
4. N e q u e f i d e l e s , n e q u e g r a t o s n o s i j s e r -
h i b e r e , n e c c u m p o s s u m u s & i p s i i n d i g e n t ,
p r o v i r i l i n o s t r a i l l i s s u b u e n i r e .
5. I l l o s c o n t r i s t a r e , p r o u o c a r e a d i r a m ,
o b m u r m u r a r e , d u r è a c c o n t u m e l i o s è r e -
s p o n d e r e , m a l e d i c e r e , i r r i d e r e , d i r i s d e v o -
u e r e . *Qui maledixerit patri vel matri morte mori-*
riatur.
6. P r o i p s i s & b e n e f a c t o r i b u s c a e t e r i s , d u m
v i u u n t a u t d e f u n c t i s u n t , D o m i n u m n o n
d e p r e c a r i .
7. B o n a s i p s o r u m c o n t e m n e r e a d m o n i -
t i o n e s & c o r r e p t i o n e s , e a s q ; f e r r e g r a u i t e r .

Matt. 13.

8. P a -

8. Parentibus, fratribus, ac consanguineis in necessitate constitutis non ferre opem.

Est hæc crudelis immanitas quædam, quæ debitam non effugiet pœnam, sicuti & illa quæ sequuntur.

9. Vxorem, liberos ac familiam male tractare.

10. Non bene præesse domui suæ, nec suæ fidei commissos bene gubernare.

11. Grauissimè hac in re delinquent parentes, verius dixerim peremptores, qui naturæ ac diuinæ legis, imò & officij sui paternæque sollicitudinis obliti, suis indulgent, vt opificij discendi exercendiuè aut famulandi gratia, eò proficiscantur, vbi fides Catholica ac pietas omnis exulat, & horum loco hæreses ac falsa doctrina obtruduntur exercenturque. Fiunt huiusmodi parentes & curatores perniciofa sua licentia, non tantum scelerum, in quæ suæ fidei creditos, ruere necesse est, qualia sunt sacrorum ieiuniorum, ac feriarum impia ac petulâs profanatio, & nonnunquam hæreses, ipsi participes: verum etiam, quantum in ipsis est, patriæ suæ extremam accersunt perniciem. Quæ enim huiusmodi à reprobis didicerût, ad suos reuersi vicinos, amicos & familiares sceleratè docent: vtpotè sacramenta nihili ducere, ridere peregrinationes ac precarias

statio-

stationes, festa ac stata ieiunia contemnere, Ecclesiæ præcepta, ac iussa superiorum, parui facere, hæresibus primum ac superstitionibus, & demum huius temporis & æternis futuri sæculi malis amplissimam fenestram aperire.

11. Per ingritudinem beneficium acceptum contemnere, non agnoscere, obliuisci beneficium aut benefactorem.

12. Non habere animum retribuendi, aut pro beneficijs mala rependere.

13. De mortuorum fraudare extremam voluntatem, aut non tempestiuè exequi.

14. Erga egenos immisericordem esse.

X V.

AD euitandam diuinæ maiestatis indignationem, & quæ eam sequuntur, æternas pœnas; necesse est, vt diuites quicquid ex facultatibus salua conditione status personæ quam gerunt, superest, in pauperes distribuant, aut in vsus causasque pias, porro autem cum extrema necessitas vrget, non tantum, quæ saluo personæ statu redundare vident, sed etiam quæ ad suam cuique aut suorum sustentationem minimè necessaria sunt, sub eadem interminatione elargiri necessum est. Sic enim apud B. Ioan legimus *si quis habuerit substantiam huius mundi & derit fratrem suum necessitatem patientem, & claudet*

Diuitibus plus satis tenacibus tremenda hæc sunt, sed vera nihilominus.

1. Ioan. 3.

serit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo? Et Salamon. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse & non exaudietur.* Tritum est illud Ambrosij à Gratiano citatum. *Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti.* Et D. Greg. in pastoralis: *Admonendi* (inquit) *sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur: vt sciant sollicitè, quod ea de qua sumpti sunt, cunctis hominibus, terra communis est, cassum ergo se innocentes putant, qui cõmune Dei munus, sibi priuatum vendicant, qui cum accepta non tribuunt, in proximorũ nece grassantur, quia tot penè quotidie perimunt, quod morientium pauperum apud se subsidia abscondunt.*

Pro. 21. Dist. 86. mon. 22. Hæc admonitio nõ solum pueris diligenter inculcãda, sed omnibus cordibus penitens infigenda.

XVI.

CONTRA QVINTVM PRÆCEPTVM.

1. **V**Eneno, potionem, gladio, aut quacunque demum ratione, etiam in matris utero existentis vitæ hominis, ac incolumitati nocere occidere, aut hæc ipsa conari.
2. Concutere aut malè tractare prægnantes.
3. Vulnerare, percutere, & quoquo modo cædere.
4. Consilio, auxilio, consensu in talibus cooperari.
5. Sectari bellum iniustum.

Cum

Cum quidem belli suscipiendi causæ du-
biae sunt, à principe suo vocatus debet arma
suscipere: cum verò manifesta est belli ini-
quitas, moriendum potius, quam etiam pro-
prio principi ad bellum euocanti acquies-
cendum: qui denique subditus non est prin-
cipum, qui bella gerunt, nisi constet illi de
causæ, cui militat, æquitate, quando militiæ
dat nomen, fit homicida peior.

6. Irasci, odisse, inuidere, impatienter
agere.

7. Vindictam expetere præter iuris ordi-
nem vel propria autoritate.

8. Sua negligentia committere, vt proles
in ignem aut aquam cadant, aut in tenella
ætate graue corporis detrimentum accipi-
ant.

*Sæpe hoc à
Catechista
insinuan-
dum.* 9. Infantes secum in lecto retinere, hinc
fit, vt quandoq; mane inueniantur oppressi
nec putandum quia non semper oppriman-
tur, peccato vacare.

10. Malo vitæ exemplo offensionem da-
re; in patrandis malis, se præbere socium, o-
pem ferre ad peccandum, dare consilium,
seducere.

*h. huius
rei, cum
opportuni,
Catechista
admoneat* 11. Famulas aut liberos sinere in eodem
conclau, vbi dormiunt coniuges, cubitare;
quæ turpitudine non modo est pessimi ex-
empli, sed & detestanda quædam barba-
ries, & intoleranda rusticitas, quam qui non
ferit

seriò seduloque cauent, omnem prorsus hu-
manitatem, ac reuerentiam natura nobis
insitam, exuisse videntur. Qui porrò pos-
sunt, sed nolunt eam præcauere, nec absolu-
tione, nec participatione corporis Christi
digni sunt.

*prudenter,
sit & con-
fessarijs
curæ.
August.
lib. 14. de
civitate
Dei ca. 18.*

12. Periculosa ac falsa dogmata profemi-
nare.

13. Irrisionibus, minis, alijsque exquisitis
modis impedire seu auocare à ieiunijs, pere-
grinationibus, confessione & communica-
tione, Ecclesiarum frequentatione, alijsque
sanctis ac salutaribus operibus.

14. Sibi ipsi immoderata victus cultusque
ratione, commestationibus, ebrietatibus, a-
lijsque illicitis operationibus, in quibus Ve-
nus caput est, vitam abbreviare.

15. Facere contra conscientiam dictantem
id, quod agitur peccatum esse, vel an pecca-
tum sit, dubitantem.

16. Se corporis aut animæ periculis teme-
rè obijcere.

17. Ijs, qui in corpore aut anima pericli-
tantur, non pro virili suppetias ferre.

18. Iniurias nolle ex animo condonare.

19. Peccantem non monere aut non cor-
ripere, præcipuè si id tibi ex officio incum-
bit.

Huc referri potest pauperum interfectrix
im-

immisericordia, de qua in fine quarti præcepti, pro instituti breuitate fat multa.

X V I I.

C O N T R A S E X T V M P R A E -
C E P T V M.

1. **A** Dulterio, seu alia quavis luxuria siue naturalis siue innaturalis specie, se contaminare.

2. In aliquod opus fœdum perpetrandum consentire.

3. Fœdis cogitationibus, delectationis gratia sponte immorari: nam qui tali cogitatione delectatur, etsi scelus nolit perpetrare, peccatum tamen committit mortale eiusdem omnino naturæ, cuius opus ipsa esset: ac perinde in hoc & secundo casu hæc circumstantia in sacra confessione est explicanda.

De morosis delectationibus. Quomodo confitenda fœdæ cogitationes.

4. Scurrilibus verbis, cantionibus, historijs, picturis, ornatu, vestitu, gestibus, epistolis, osculis, tactibus impudiciæ operam dare.

5. Causas impudiciæ & occasiones non vitare, vt sunt commestationes, comotationes, otia, assidua aut nimia cum diuersi sexus personis familiaritas, & de rebus purum honestis colloquia.

6. Con-

6. Coniugi sine causa legitima pertinaciter debitum negare.

X V I I I.

Quandoquidem libidinis flamma complures accendit, & pro circumstantiarum diuersitate varia passim flagitia committuntur, cum solutis, cum matrimonio iunctis, cum consanguineis & affinibus, sacrilegè etiam cum Deo per vota dicatis personis, naturali modo & contra naturam, secum & cum alijs, vt integra fiat, & salutaris confessio, omnes conscientiarum suarum latebras quisque penitus scrutetur, & inspectet. Multi pro dolor callido fatanarum consilio lusi, & pudore non bono præpediti, in confessione flagitia prædicta dissimulant, ideoque ad Eucharistiam percipiendam indignè accedunt, vnde miseriam, dum moriendum est, desperant, porro non confessi damnantur: quorum ignominia velint nolint, coram omnibus hominibus, imò & Angelis Dei, reuelabitur.

*Necessaria
popula
inculcanda
admonitio.*

Aduertendum & illud diligenter, non posse absolui, qui peccatorum occasiones non est paratus euitare. Graue itaque sacrilegium committit, qui Ecclesiasticum aut sæcularem concubinariū, etiam in paschate absoluit, antequam concubinam domo eijciat, præsertim si peccatum in vulgus manifestum est, aut si violentæ quas vocant suspiciones,

*Notet tam
confessarij,
quam confitentis.*

*quid cum
concubina.*

N n ciones,

*vijs agen-
dum.*

ciones, in multorū animis resident, eos qui simul morantur, impudicè viuere, etiā si verè conuerſi ſint, nec velint vnquam peccare: imò verò ſi ne quidem poſſint ob a-tatem, aut quamuis aliam cauſam, turpitudini operam dare. Hi inquam nequeunt abſolui, antequam domo habitationeque ſeparentur, nec Epifcopi aut cuiuſuis alterius diſpenſatio (quæ diſſipatio verius eſſet) reddat ſecuros.

Qui huiuſmodi abſoluit, & alieni peccatiſe conſortem facit, & rempublicam graui vulnere ſauciat.

X I X

C O N T R A S E P T I M V M P R A
C E P T V M.

1. **R** Apere, furari.
2. **F**raudare in negotio, vendendo vitioſas merces pro bonis, vel rem vnā pro alia, vel pondere non iuſto.
3. **M**enſura iniqua, vel moneta adulterina decipere.
4. **I**nuenta retinere.
5. **I**mpedire aut auertere lucrum aut beneficium alienum: aut cum damnum imminere proximo vides, vt prouideat non monere.

6. Mouere suo loco limites.
7. Quam mercede locasti operam, segnitè & mala fide præstare.
8. Mercedem operario negare minorem æquo, aut tardius, quam velit ipse, persoluere,
9. Operariorum nomine omnes illos intellige, qui suam tibi locarunt operam, vt sunt agri aut vineæ cultores, pistores, pelliones, sartores & id genus operæ.

Hoc loco aduertant homines copiosi ac honorati, qui stomachantur feruntque molestè, si ad nutum eorum opifices & operarij extemplò præsto non sint, iussaque perficiant: vbi verò solutionis tempus aduenit, & dilata fortè in multos menses operariorum merces numeranda, ecce tibi opus est, aperto capite, & inclinatis genibus iterum ac tertio debitam suis laboribus mercedem miselli poscendo & flagitando extorqueant: quin verò eius loco non raro mala verba, vocesque contumeliosas accipiunt, perinde planè ac si ipsis, ab omnibus gratuitum seruitium pendendum sit. An ob fraudatam, aut dilatam debitæ mercedis solutionem, algeant vxor ac proles, & fame forsitan tabescant, nihil pensi habent. Sed audiunt D. Iacobum *agite nunc diuites, &c. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones ve-*

N^o 2 stras

stras, quae fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.

9. Nolle soluere quod debetur, etiam si fortè is, cui debes non exigat, vel quia nunquam sciuit te debere, vel oblitus est, vel non audet abs te petere.

10. In negociatione, proprij tantum questus habere rationem, nihili ducendo proximi damnum, vel auarè, nimiumque opibus acquirendis intentum esse.

11. Accipere, vel retinere quod ab eo accepisti, cui fas non fuit tibi donare, veluti à filijs, ministris familias, à religiosis, aut quoumodo iniustè occupantibus aut possidentibus.

12. Decimas, census, & quiduis aliud quod Ecclesiastico vel laeculari magistratui debetur, non integrè persoluere, peccatum hoc furto grauius est.

13. Fundationi & officio, ad quod beneficij accepti ratione obligatus es, non facere satis.

14. Quod ex redditibus beneficiorum Ecclesiasticis personis supra decentem statum redundat auarè retinere, consanguineis non indigentibus, aut alijs largiri, rebus inutilibus, ne dicam vanis, ac inhonestis prodigere, & in pias causas non expendere.

15. Religionem professum contra votum suum proprium quippiam habere.

Pro-

16.

funt

exi

S

subo

niue

lent

tern

17.

præf

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

clesi

16. Proprietarij, quos vocant, vt, sacrilegio sunt Ananiæ similes, ita vehementer eius exitum pertimescant.

Superiores monasteriorum, qui ad hanc subditorum perniciosam infidelitatem conuiuent, & cum possunt non corrigunt, volentes & videntes in magnum discrimen æternæ damnationis veniunt.

17. Per Simoniam Parochias, Canonicatus, præbendas, dignitates, Altaria, aliaque Ecclesiasticabeneficia muneribus impetrare.

X X.

VT quispiam cooptetur in religionem aut monasterium dare vel accipere precium, communi omnium Doctorum consensione Simonia est: & graue atque detestabile delictum. Porrò qui tali modo & via in aliquam familiam adscribuntur, penè inextricabilibus sese laqueis induunt. At verò cum superiorum arbitrio certus aliquis Monachorum aut Monalium numerus est definitus, qui ex annuo censu monasterij, aut ordinarijs elemosynis, aut opere manuum ali possint, si post completum numerum, quispiam ad religionem aptus instet vt cooptetur, quorundam Doctorum opinione, absque Simonia, cum ipso, aut eius tutoribus, pacisci possent Superiores monasterij,

Nn 3 tantum

tantum vt sustentetur is, qui admitti cupit, non vt monasterium quicquam inde habeat temporalis emolumentum.

Alijs, qui magnis rationum momentis nituntur, videtur, quam diu per mortem numerus non imminuitur, nullam vacare prebendam, nec quemquam recipi posse, quorum tutior est opinio. Postquam verò persona gratis amore Dei, sicuti fieri necesse, recepta est, in dispensatione bonorum, quæ aut iam actu obtinet, aut aliquando obtinere suo poterit benignè facere monasterio, bonis temporalibus minimè abundet.

19. Parentes verò & consanguinei si idcirco quod religionem sit auspicata, Deoque sponsa & deuota, hæreditatem aut alia bona naturali iure ipsi debita, sibi usurpare, aut imminuere tentent, grauius in decimum Dei præceptum delinquant.

20. Accepto precio aut aliquo quod precio æstimari potest, nominare, eligere, promouere ad beneficia Ecclesiastica.

21. In nominandis ijs, qui ad beneficia Ecclesiastica, munia, gradus & dignitates admittendi: in conferendo item aut quomodo-cunq; prouidendo personas accipere, siue ob fauorem, amicitiam aut consanguinitatem aliaque id genus ad rem parum spectantia,

tia, præferre indigniores dignioribus: vel etiam quod grauius est, dignis indignos.

22. Impia hæc atque sacrilega infidelitas Christianam Rempublicam in extremum periculum adduxit. Væ væ dispensatoribus super familiam Domini constitutis in fidelibus.

Vtinam emendationem vel tandem sperare liceat.

Habet & locum personarum acceptio in distribuendis ciuilibus munijs, honoribus, ac emolumentis, & quibuscunq; alijs maioris momenti.

23. Usuram seu lucrum solius mutui ratione accipere.

24. Hæreditatem usurariorum nulla facta restitutione, adire.

25. A Iudæis aut alijs manifestis usurarijs scienter, quæ per usuram acquisiuerunt emere, aut dono accipere.

26. Propter dilationem solutionis, siue vt vocant credito, pluris iusto precio vendere, vel minoris ob anticipatam solutionem emere.

27. Mutuum dare accepto pignore frugifero, & fructus à summa data non detrhere.

28. Usuræ occasionem citra necessitatem alteri offerre.

Non peccat qui urgente penuria vel necessitate mutuum accipit ab eo, qui alioquin

An peccet qui ad v-

N n 4 para-

*suram ac-
cipis.*

paratus erat scœnori dare : dum non est qui
Dei amore mutuare velit.

25. Pupillorum bona non fideliter colere:
eorundem pecuniam aliaque bona mobilia
quæ seruari nequeunt in eorum vtilitatem
non conuertere.

*Officiam
antorum.*

Nota pupillorum curatores ex officio te-
neri pecuniam suorum pupillorum si pos-
sunt ad lucrum impendere, sed iusto modo
& minimè ad vsuram dare.

X X I

DE VSVRIS SVCCINCTA AC
necessaria instructio?

Quandoquidem in ea incidimus tem-
pora, quibus multorum refrigerante
charitate, abundat iniquitas, per quam ex-
crabilis vsura contra naturæ, Dei & homi-
num leges in dies singulos magis ac magis
inualefcit, non sine graui egentium iactura
& irreuerabile animarum strage. Primum
quidem eorum, qui pauperum sanguinem,
vsuraria prauitate velut sanguisugæ exhau-
riunt: tum etiam ipsorum hæredum, quibus
laquei tenduntur, vnde se non facile expe-
dient, & denique aliorum multorum qui aut
vsuris cooperantur, aut iniusti lucri sunt
participes, ob has, inquam, aliasque causas
grauissimas, ne quidem in hac breui instru-
tione

tionem prætereundum putamus, quin iuuentuti, alijsque huius doctrinæ lectoribus vel auditoribus, demus occasionem hac de re penitus cogitandi, præsertim quod isthoc Iudaico scelere, nos Christiani nimium viles efficiamur,

Quid sit usura?

VSura est rem, quæ usu consumitur mutuari, & ratione mutui precium, aut quod precio æstimari possit, sperare, aut exigere. Illud porrò usu consumi dicitur quo uti nō possumus, nisi consumamus, nec post usum habemus, ut sunt pecunia, frumentū, vinum, oleum & id genus alia, quæ post usum, utenti non manent.

I. Dico mutuare, nunquam enim usura est, ubi mutuum non est. Quocirca si quinque florenos annuos emam, numeratis centum, aut iuxta receptam & approbatam consuetudinem, ac nulla lege aut superiorum statuto prohibitam, certam vini, olei ac frumenti pensionem, quia nullum intercedit mutuum, non dicor usuram exercere, sed legitimum ac licitum contractum, modo adsint & seruentur conditiones naturæ vi & lege scripta requisitæ.

Emere pensionem non est illicitum.

Mutuum hic nullum esse, vel ex eo liquet, quod non remanet penes me ius repetendi

Nn 5 sortem,

fortem, quamdiu venditor pensionem seu censum debitum persoluit. Non desunt tamen viri prudentes, qui existimant principes ingenti beneficio suos subditos sibi deuincturos, Deoque rem præstituros gratissimam, si in futurum pensionum fructuariarum emptionem inhi-beant, quæ autem iam olim emptæ sunt, ex æquo & bono aut immutentur aut moderentur.

Reip interest pensiones fructuarias lege inhi-beat.

2. Dicitur est, rem quæ vsu consumitur, ut sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum, &c. mutuari; nam vestem, domum, agrum, aut pratum alicui commodare, vel locare licet, pretio pro vsu accepto manent enim hæc vtenti postquam ijs vsus est.

Quæ vsu consumitur vsu precio vendit licet.

3. Adiectum ratione mutuacionis, quæ nim mutuatur concepta spe mutuatarum ex inita necessitudine seu amicitia, vicissim sibi aliquando gratificaturum, vsuram minime committit, multo verò minus si mutans exigat quippiam ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, aliasque legitimas ob causas.

In mutuo, sed non ratione mutui, sperare aut accipere quippiam, non est vsura.

4. Sperare precium aut quod precio æstimari potest est vsurarium: amicitia autem fauor & similia, quæ non possunt pecunia æstimari, licite ex mutuo sperantur. Cæterum quia ciuilis obligatio precio æstimatur, ideoque si colono dem pecunias mutuo, aut alteri cupiam hac conditione & p-

Quod precium non venit etiam ex mutuo sperare licet. Ciuilis obligatio pre-

cto, vt carnes, pisces, falem, coriū, pannum, *cio. estima-*
 aliaq; etiam legitimo precio apud me emat, *bilis.*
 aut meo in molendino melat, vinum aut *Notanda*
 frumentum, si quid velit vendere, mihi, & *sunt hec.*
 non alijs vendat, mercede iusta, cum opus
 fuerit, mihi labore; aut si quando indiguero
 mihi vicissim mutuet, vsura est, pactum-
 que ipsum rescindere tenetur.

5. Quod de vsura dictum est, æque de exi-
 guo & magno lucro mutuo accepto intelli-
 gendum, est enim vsura omnis, non scripta
 tantum, diuina & humana, sed etiam naturæ
 nobis innata lege sic cauta, vt nullo Imper-
 atorū, Regum, rerum publicarum, aut
 quorumcūque statuto, consuetudine, aut *Nulla lege*
 priuilegio, & moderatione, vel minimum *aut consue-*
 quid ratione mutui liceat exigere. Manife- *tudine li-*
 sta siquidem iniustitia est vsum fructum rei *cer accipe-*
 sterilis atque infructuosæ, siue paruum siue *re vsuram*
 magnum deposcere, contra illud: Non fura- *etiam quā-*
 beris, &c. *uis mini-*
mam ac
modera-
tam.

Non concupisces rem proximi tui.

Etsi pecunia, inquires, ex se suaque natura
 sit sterilis, hominis tamen industria fit fru-
 gifera. Verum id quidem; sed quo iure tu
 alienæ siue industriæ, siue laboris fructum
 tibi vendicas? Qui solus laborem adhibet,
 & pecuniam, & periculum iacturæ, quæ in
 pecuniæ vsu non rarè contingit, solus sus-
 cipit lucrum, quod prouenit, iure solus ha-
 bet,

Ecl. 34.

bet, qui aliquam illius portionem sumit, *affert in sudore panem*, estq; vt scriptura ait *quasi qui occidit proximum suum*, non obstante quicquid quidam humanarum pariter & diuinarum rerum ignari contra somnient.

X X I I.

Non ignoramus anno 88. quosdam Iurisperitos, inanissimis quibusdam rationibus & autoritate duorum prædicantium indoctorum, seductos, Decani & facultatis suæ nomine moderatum genus vsuræ comprobasse, quod quia nouum est, & in Dei Ecclesia inauditum, nouo nomine magnus ille Germanorum Euangelista insigniuit, nimirum Christianam & necessariam vsuram, & ferme dimidiatum misericordiæ vel (quod monstrosius est) semi misericordiæ opus vocando. Sed quid mirum: si cum cæcus cæcum ducit ambo in foueam incidant? Sic sane deicit eorum insipientiam manifestam fieri, qui nimis sunt in oculis suis sapientes, vt venditent ac prædicent verissimam iniquitatem, pro semimisericordiæ operibus, qui integris pietatis, fidei, ac charitatis operibus vim omnem & merendi & iustificandi, contra manifestas scripturas, & traditam Ecclesiæ inuiolabilem doctrinam, detraxerunt. Si porrò progrediantur, videbit mundus uniuersus

*Hæretici
& Indeli*

uersus eos Christiani nominis larua deposta, ex semiuudæis integros Iudæos euasisse. *farine e- iusdem.*

X X I I I.

Qui vsurarium absoluit vsuras nolentem restituere, non solum peccatum mortale facit, sed ipse restitutioni fit obnoxius confessio verò & absolutio nulla sunt. *Non absol- uendus v- suras nolēs restituere.*

Tabelliones seu Notarij, qui in publica instrumenta contractus vsurarios referunt, periuri sunt. Cum insuper emptionis aut quouis alio prætextu honesto veluti pallio quopiam occuluerint, rei fiunt restitutionis: Imò in ijs quoque prouincijs ac locis, in quibus publico iudicio vsurarum solutio obtinetur, Notarij qui etiam manifestas vsurarias literas conscripserint, ad restitutionem tenentur. Eadem, quæ tabellionum, est etiã testium ratio, quorum nomina in publicum instrumentum ad contractus firmitatem referuntur. *Notarij in uoluntur.*

Gravius multo delinquent Principes & Magistratus, qui vel Iudæis, aut alijs quibuscunque vsuras accipiendi faciunt potestatem, quique cum eorum imploratur officium, non compellunt rependere quod vsuris exactum est: Grauius autem, qui leges condunt iniquas, in fauorem vsurarum. Scabini, item Prætor, Iudices & quouis nomine iustitiæ Administræ, qui iuxta datas leges ini- *Principes socij fu- rum. et qui ed- ditis leges iniquas*
 quas,

quas, vsuras soluendas esse iudicant, vel iam solutas iure repetendas negant, præter alias pœnas, restitutioni sunt obnoxij, excommunicationemque incurrunt.

Conniuere ad Iudæorum, Iudaizantiumque Christianorum vsuras, quamdiu sceneratores non nimium exigunt, nec quispiam oppressorum iustitiam implorat, multorum Doctorum iudicio possunt Principes ac Magistratus, ad euitanda grauiora incommoda.

*Vsuras exercent nõ
nunquam
pauperes.*

Qui detestandum vsuræ peccatum metacorum tantum, ac aliorum diuitum morbum esse credunt, falluntur: contingit namque interdum etiam tenuioris fortunæ homines, se in salutis discrimen adducere, cum æ exiguum quod habent, vsuraria prauitate proximo concedunt.

Animaduerte in hætenus enarratis casibus, alijsque in quibus iustitiæ leges inuertuntur, non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum, aut, quâtum fieri potest, transgressor damnum iniuste ablatum refarciat. Qui hoc præstare nequit, ei præstandi voluntas necessaria est, & sufficit.

X X I I I I

CONTRA 8. PRÆCEPTVM.

NOTA. i. **F**ALSUM testimonium ferre de pro-
mo, Hic grauissimè peccant, qui-
doct

doctis & criminosis, vt ad sacros ordines admittantur dant testimonium.

2. In iudicio, vel extra illud, calumniari, famæ claritudinem obscurare, detrahere, seu obloqui. Peccatum hoc non rarò restitutioni est obnoxium.
3. Mentiri; quod semper est peccatum, aliquando etiam mortale.
4. Dicta factaque aliorum sinistrè interpretari.
5. Occultum aliorum peccatum aut defectum iniustè reuelare, propalare, augere.
6. Peccata aliorum exaggerare.
7. Adulari.
8. Susurronem esse, inter amicos inimicitias serere fouere, augere.
9. Conuiciari, exprobrare, irridere.
10. Maledicere, imprecari.
11. Temere iudicare.
12. Susplicari.

X X V.

CONTRA 9. & 10. PRÆCEPTVM.

1. **D**omum, agrum, officium, seruum aut ancillam, sponsam aut vxorem proximi sui cum ipsius damno iniuriaue concupiscere, quæsito aliquo iuris prætextu
tibi

sibi acquirere, infatiabili habendi cupiditate
flagrare.

2. Illicitis lusibus, vel etiam immoderatis
cum proximi detrimento uti.

3. Optare annonæ caritatem, ut carè sua
diuendere possit.

4. Per monopolium seu rerum ad victum
necessarium coemptionem inducere anno-
næ caritatem, quando eorum Dei munere
fatis copiosus est prouentus.

Facinoris huius parricidalis diritas adul-
terio & homicidio deterior, grauior & sceler-
rator est.

5. Penuriam rerum necessariorum exoptare,
ut negotiatione lucrum amplius facias.

6. A paupere importuno tempore debi-
tum exigere, ut cum propter intempestiuam
debiti exactionem necesse est, quæ habet
æquo minori precio diuendere, vel cum ob
paupertatem ipse & sui grauissimè angun-
tur, aut corporis animæque periculo obij-
ciuntur.

7. Peccant Iurisperiti, alijque iustitiæ ad-
ministri, qui compendij causa exoptant li-
tes multas esse, lites indictas absq; sine pro-
ducunt.

Mille fraudes in hisce concurrere & possunt
sunt & solent; de quibus ipsi suas scrutentur
conscientias.

8. Inuidere proximo honorem, æstimationem, opes, ac fortunam prosperiorem.

Cum in huius præcepti transgressione proximo re ipsa nocumentum datum est, restitutio est necessaria. Quod idem in omnibus omnino locum habet, sicuti post septimum præceptum dictum est.

X X V I.

HAec peccatorum series, optime lector, utcunque sufficere poterit de peccatis confessuris, qui tamen animarum curam habet, etsi eadem, ut interrogatorio in confessione audienda adiuuari possit, plenior oportet, habeat singulorum cognitionem ex summula peccatorum Caietani vel armilla aurea Bartholomæi Fumi, alioue simili auctore, qui conscientiae casus explicat. Qui enim sine his, animarum morbis mederi præsumpserit, temerè agit, nec suo satisfacit officio, sed tam se, quam suos periculo exponit. Quid enim si cæcus cæcum ducat? Nonne ambo cadunt in foueam? Cæterum operæ pretium fuerit, si Catechista vel Parochus hunc peccatorum catalogum prælegat, & explicet eo tempore, quo se ad communionem plebs præparat, quod ut in præcipuis festiuitatibus faciat, inducere expedit, sed suauiter.

O o DE

D E P R A E C E P T I S E C.
C L E S I A E .

Q Vinque præcipua Ecclesiæ præcepta, omnibus fidelibus meritò tenenda, enumerant plerique, sed non eadem omnes sunt enim non pauci, qui aut omittunt primum de festis celebrandis, aut illud cum secundo, de audienda missa, in vnum contrahunt; & tribus reliquis, quoddam de decimis soluendis adijciunt.

Canisius verò decimas ipsas quo ad substantiam Deo eiusque ministris ac pauperibus naturali ac diuino iure deberi prudenter aduertens, non retulit ipsas inter Ecclesiæ præcepta. Qui enim has aut non solunt, aut non integrè, quatenus Dei oblationes existunt, contra primum: quatenus Ecclesiæ ministris debentur, contra quartum: denique vt pauperum, viduarum, ac pupillorum annona sunt, in septimum decalogi mandatum delinquunt.

Veruntamen nec malè, nec sine fructu, alij in quinque Ecclesiæ præceptis suum dant decimis locum, quandoquidem non nisi Ecclesiastico iure cautum sit, & si opus fuerit, in quavis Ecclesia statui possit, qui illa reddere teneantur, de quibus item rebus, & quotam partem.

Cæterum expedit atque ad eò necessarium est, hoc præsertim tempore, hanc doctrinam opportunè & importunè prosequi, non tam ut Ecclesiæ ministris sint prouetus pinguioribus sicuti quispiam calumniari posset, quam ut munifica pietate, & pia munificentia, populus Christianus, se Deo suo fidelem præbens, munificam in seipso diuinæ liberalitatis benedictionem experiri mereatur. Sunt & aliæ causæ tum multæ, tum graues, quas prudens Catechistes, vel ex breui, quæ hic subiungitur, tractatione facillè colliget.

Nos autem ut nec numerum præceptorum passim receptum, nec præcepta ipsa immutarem: ac nihilominus necessariam hanc doctrinam nequaquã negligeremus, ad finem quinti Ecclesiæ præcepti, quasi per appendicem, paucula quædam verba continenter adiecimus, à pueris ipsis & plebe vnâ cum præcedentibus, memoriæ mandanda.

X X V I I I.

QUOT SVNT PRÆCEPTA
ECCLESIAE?

PRæcipua quinque numerantur:

Primum?

STATUTOS Ecclesiæ festos dies celebrato.

O o 2 Se-

Secundum.

Sacrum missæ officium diebus festis reuerenter audito.

Tertium.

Indicta certis diebus ieiunia & à quibusdam cibis abstinentiam obseruato.

Quartum.

Peccata tua sacerdoti proprio, aut alteri cum eius facultate, singulis annis confitebor.

Quintum.

Sacrosanctam Eucharistiam vt minimè semel in anno, idque circa festum pasche sumito.

Hanc coronidem vna cū præceptis ipsis ediscere pueri etiã lingua vernacula.

His annumerandum, quicquid sancta mater Ecclesia præscripserit ordinaueritque ad meliorem illius naturalis & diuini iuris obseruationem, quo integra, perfecta, bonaque fide decimarum solutio præstanda discernitur.

X X I X.

DE DECIMIS.

Estne ergo Ecclesie præceptum decimas dare?

16 q. 1.
Extra de
decimis
Trident.
Sess. 25.
c. 12.
Gen. 14.
c. 18.

Lex naturæ quam Deus hominum peccatoribus impressit, quam veteris testam.

menti pagina renouauit, quam noui instru- *S. Th. 22.*
 menti doctrina explicauit confirmauitque *q 87.*
 disertè, iubet, vt eorum, quæ Dei beneficio *Leu. 16.*
 iustè & legitimè nobis comparauimus, par- *Deut. 12.*
 tem aliquam seponamus, qua primum qui- *Mal. 3.*
 dem bonorum omnium largitorem grata *Eccl. 35.*
 animi significatione prosequamur & agnos- *Ezech. 20.*
 camus, tum verò vt cultus diuinus perpetuò *Luc. 10.*
 vigeat, Ecclesiæ ministri sustentètur, & tem- *1. Tim. 5.*
 pla ipsa sacra tecta seruentur, atque adeò *Matth. 5.*
 viduæ, pupilli, alijque egeni suscipiantur, id- *1. Cor. 9.*
 que ad gloriam & laudem Dei maiorem, to- *Prosper. li.*
 tiusque reipub. salutem. Quis porrò decimas *2. de vita*
 dare, quibus de bonis, aut quantum debeat, *contempl.*
 iudicium Ecclesiæ est. Dicam verbo. Deci- *cap. 16.*
 mas bona fide soluere cum natura ipsa, tum
 auctor naturæ Deus seridò mandat. Quis ve-
 rò dare debeat, quando, quantum, ac cæte-
 ras circumstantias, à Deo accepta potestate
 Ecclesia determinat, cui omnino paren-
 dum est.

Nunquid peccat, qui non pendet decimas?

Q Vi decimas debitas vel omninò non
 soluunt, vel tantum ex parte, aut ex de-
 terioribus, & vt semel dicam, parum fideli-
 ter, ius omne, naturale, diuinum & huma-
 num pariter violant: magnum ingrati erga
 Deum animi notam incurrunt: Dei bene-

O o 3 dicti

Num. 18. dicti cultum ac religionem, quantum in se
 Tob. 1. est, tollunt, vel vt leuissimum dicam, immi-
 Mal. 3. nuunt: quæ Hospitalibus, Monasterijs, Ec-
 2. Par. 31. clesijs, alijsque pijs locis, ipsiisque pauperibus
 S. Aug. ac Deo oblata, deuota, & consecrata, per ne-
 Ser. 219. de tempore. fariam impietatem atque execrabile sacrile-
 Prosper. gium sibi vsurpant: Quo fit vt & exitium eos
 lib. 2. de maneat sempiternum (nisi vera pœnitentia
 vita con aboleatur iniquitas) & non raro etiam num
 templ. ca. 9. & 11. in hac vita, diuina illos vltione persequente,
 Synodo temporalium bonorum iacturam faciunt
 Mansif. quemadmodum illis Deus interminatur.
 secunda Contra verò, qui se liberales gratosque ex-
 sap. 5. hibent, ijs Deus gratiam & bonorum omni-
 Synod. um affluentiam, tum hic tum in futurum
 Mogunt. pollicetur.
 Jub Rab. cap. 10.

Cuiusmodi sunt danda decima?

Amos. 4.
 Ioan. Ma-
 gnus li. 18.
 Historie
 Gothor.
 2 par. 31.
 Gen. 14.
 Gen. 28.
 Heb. 7.
 Hom. 35.
 in Gen.

Abraham credentium pater, item que ne-
 ræ, quæ optima habuerunt, in decimas de-
 derunt. Qua in re à D. Paulo, nobis (B.
 Chrysostomo interprete) ceu egregium
 quoddam exemplum ad imitationem pro-
 ponitur. Idem quoque faciendum Israël-
 tico populo in lege Mosàica præceptum est.
 Nobis autem Dei Ecclesiæ que fidelibus, bo-
 na fide persoluenda subministranda que sunt
 omnia, quæ pro locorum ac temporum re-
 rietate, exigit Ecclesia, iuxta piam laudabi-
 lem.

lemque consuetudinem iam pridem introductam & feruatam: Et præterea si quæ alia in posterum certis iustis que de causis, et si antea non essent consueta, ipsa Ecclesia exigenda statueret.

X X X.

DE PECCATORVM CIRCVM-
stantijs ad confessionem rectè faci-
endam necessarijs.

*Suntne peccatorum circumstantia in
confessione necessario de-
tegranda?*

VTique. Quando vel in infinitum au- Vide Ca-
tech. Tres
uir. c. 4. in
sacra. pœ-
nit. de con-
fessione.
gent peccatum, ut cum id quod natura
sua veniale tantum est, ob circumstantiam
fit mortale: aut in aliam speciem peccati
transmutat: aut denique opus ex se bonum
ex adiuncta circumstantia peccati rationem
subit.

Numerus peccatorum, quantum fieri Quod pecca-
torum nu-
merus in
confessione
explican-
dis fit.
potest, indicandus: quod si certus iniri non
possit, consuetudo & frequentia peccandi,
tempus item quamdiu in peccato per-
seueratum, omnino manife-
standa sunt.

QVID FACTA DISCVSSIONE
mibi agendum?

*Hæc media
diligenter
comparat
ex c. de pe-
nitentia in
Catechesi-
bus Treu.*

EXcitanda contritio, quæ nisi accesserit, vana erit confessio. Dolor itaque quod in Deum ac seruatorem adeò ingratum ac infidelem te exhibueris, medijs ac rationibus à confessarijs aut Catechista præscriptis, comparandus est. Sequenti autem precandi formula licebit uti.

✠

Omnipotens, ac benignissimè Domine Iesu Christe, te ex intimo corde deprecor, conuerte ad me miserum & indignum peccatorem oculos misericordiæ tuæ, quibus discipulum tuum Petrum in pontificis atrio te negantem, & Mariam Magdalenam in conuiuio lachrimantem, & Latronem in cruce confitentem aspexisti, ac concede, ut cum Petro peccata mea deflere, cum Magdalenam te toto corde diligere, & cum Latrone in æternum te videre merear, Amen.

X X X I I.

D E C O N F E S S I O N E.

*Secunda penitentia parte.**Quid est confessio?*

Humilis sui ipsius coram sacerdote absoluenti potestatem habente accusatio,

tio, integra peccatorum omnium, quæ post diligentem conscientia discuffionem memoria occurrunt, enumeratione absoluta, poenitens enim libens seipsum manifestare, suamque conscientiam cum debita animi submissione præbyteri iudicio submittere omnino debet.

Modum legitimè confitendi me quæso edoce.

Postquam uti par est conscientia tuae sinus excufferis, tuamque iniquitatem in Dei conspectu deplanxeris, sacerdotem ad, flecte utrumque genu, consigna te signo S. crucis, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Pete benedictionem, Benedic, inquit, Pater: vel Benedicite. Data Benedictione confessionem sic auspica- bere.

Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper virgini, B. Michaeli Archangelo, B. Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro & Paulo & omnibus sanctis, & tibi Pater quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.

Hoc loco indicato, quo die postremo sis confessus, an eo tempore decreueris firmiter, ab omni peccato mortali, & occasione- bus abstinere, an nullum, siue data opera, si-

1.

2.

O o 5 ue su-

3. ue supina in te discutiendo negligentia, peccatum in illa confessione celaueris vel subitueris, & denique an iniunctam pœnitentiam, vel quiduis aliud, quod confessarius tanquam obseruatu necessarium indixerit, impleueris, qualia possent esse, restitutio, condonatio iniuriarum, euitatio occasionum peccandi.
- 4.

*Et hæc
ex Cate-
ches. Tre-
uir de pro-
met.*

His dictis enarra peccata tua. Sit autem confessio integra præmeditata, humilis, diligens, vera, accusatoria, propria, nuda, uerecunda, contrita, & spe plena, quas bonæ confessionis condiciones Catechista optimè cognitas habeat, & auditoribus identidem magna cum diligentia explicet.

Enumeratis peccatis sic conclude confessionem.

Ideò precor B. Mariam semper virginem, B. Michaellem Archangelum, B. Ioannem Baptistã, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes sanctos & te Pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum, &c. Peto insuper humiliter ut Christi vice me absoluas, ac pœnitentiam salutarem iniungas.

GERMANI HAC FORMULA
VTENTVR.

*In namen des Vatters / ⁊ des ⁊ Sohns /
vnd des heiligen ⁊ Geists.*

Am

Herr gebt mir den Segen. Nach empfangenem Segen sprech.

Ich armer Sünder (Weibsbilde sprechen/
Ich arme Sünderin) bekenne Gott dem
Allmächtigen / Mariae seiner Hochwirdigen
Mutter / allen lieben Heiligen / vnd euch Prie-
ster Gottes statt / daß ich oft vnd viel gesün-
diget hab / mit Gedancken / Worten / Wercken /
vnd vnderlassung vieler guter Werck.

Solche vnd alle meine Sünde seyndt mir
leyde von Herzen : Bitte darumb die heilige
Junafraw Mariam / alle liebe Gottes Heili-
gen / sie wöllen Gott für mich bitten. Beagere
auch von euch Priester an Gottes statt / ir wöl-
let mich von allen meinen Sünden absolvieren
vnd ledig sprechen / vnd mir ein heylsame Buß
aufflegen.

IN OPPIDIS ET LO-
CIS DIOECESIS TREVIRENSIS,
quibus gallicum idioma vernaculum est,
sic dicendum.

AV nom du Pere, & du Filz, & du
Saint Esprit, & Sire donnè moy la be-
nediction. Ce fait dis la Confession gene-
rale.

Je pauvre pecheur confesse à Dieu tout
puissant, & à la benoiste vierge MARIE, & à
tous les Saints, & à vous Sire (lieu-tenant de
Dieu)

Dieus) que i' ay beaucoup & souuent peché par faits, parolles & pensées; & par omission de plusieurs bonnes œuures.

Puis dis à ton Confesseur, depuis quel temps tu ne te confessas; si tu eus propos & volonté de ramender; si tu n' oublias rien à ton escient; si tu feis la pœnitence ou aultre chose necessaire, que de feust imposée, comme seroit, restituer, pardonner & fuir les occasions & dangers de pecher. finalement dis & confesse tous tes pechez pourpensez & cogneus avec toute humilité, diligence & verité sans accuser autruy, ou excuser toy mesme, avec simplesse, vergongne, repentance & espoir; puis conclus ainsi.

De tout cecy & autres miennes fautes, Demande pour ce la' la S. Vierge Marie, tous les Sainctes de dieu, qui prient pour moy. Et prie à vous, sire à la place de dieu quæ vous m'absolues de tous mes peches & me bailles, vne salutaire penitence.

X X X I I I.

A D P A S T O R E M S E V C A -
T E C H I S T A M.

NOta qui habes curam animarum, superiori sæculo pio consilio in confessione generali commemorata fuisse, duodecim fidei articulos, decem præcepta, nouem peccata

eata aliena, octo beatitudines, septem misericordiarum opera, &c. Tum ut simplices assidua horum inculcatione ediscerent Catechismum, tum ut haberent, in quo se examinarent, & ad confessionem rectè inflitutam formarentur. At experientia multorum annorum iam pridem docuit, neutrum horum hac ratione effectum: nam nec hac via doctrinæ Christianæ capita intelligunt, & falluntur perniciosè, arbitantes se plenissimè confessos, cum omnium se reos dixerint in longissima illa enarratione, ut in se ipsos examinando ingrediantur, ac sigillatim confiteantur ipsis propria peccata, ægrè adducuntur, quando persuasum habent, confiteri aliud nihil esse, quam verba illa concepta seu formulam ad aurem Sacerdotis recitare. Qui illis addunt orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & decem præcepta, illi demum consumati sunt. Fit hoc magna temporis iactura, & miseranda animarum strage. Utinam non fuerint aut sint, qui Pastores nominantur, sunt autem proditores, qui hoc pœnitentiæ simulachro contenti, his auditis, ad absolutionem se accingunt. Ut verò tanto malo obuiam eatur, doceant quibus id incumbit, ex præscripto huius libelli, & modo à Reuerendissimo Archiepiscopo præscripto Catechismum diligenter, ut intelligant in quibus

*Memine-
rint & ob-
seruent*

Concionaria. quibus se examinent simplices, confessionem verò ijs tantum verbis, quæ hic ascripta sunt, publice post concionem & priuatim doceant, & in confessione ne alia addant confessuri, curent.

Confessarij omnes diligenter quo in loco sint audiente confessiones iuxta Verceilensem in refer. Ecclesiast.

Cum Ecclesia proprius sit sacramenti administrandi locus, in priuatis certè ædibus, nisi ob ægritudinem audire confessiones minimè decet. Pœminas alio, quam in Ecclesia, & quidem aperto fidelium omnium loco, si crimini affine non est profecto nec periculo, nec criminis suspitione vacat. Debemus autem prouidere bona, non solum coram Deo, sed & coram hominibus.

X X X I I I I.

QUANDO CONFESSIO EST INANIS & necessariò repetenda?

Primum si confitens, nec de peccatis dolet, nec firmum habet omnia & singula mortalia, eorumq; occasiones vitandi propositum.

Secundò cum de industria celat peccatum quodcunq; mortale, aut quod mortale esse putabat, aut, an esset, dubitabat.

Tertiò cum penes confessarium nulla fuit absoluendi potestas. Sunt etiam alij casus sed relinquendi Doctoribus.

X X X V.

DE SATISFACTIONE TERTIA

*pœnitentia parte.**Quid absoluta confessione restat mihi
agendum?*

NE confestim ad fabulas te conuertas, I.
sed in genua prouolutus, pro remissione
ne iam obtenta gratias age, ac firmiter pro-
pone te peccata peccatorumque occasiones,
pro virili vitaturum, tibi que dictum putes,
ecce sanus factus es, iam noli peccare ne deterius Io. 5.
aliquid tibi contingat.

Quid monuerit præceperitue confessari-
us recole; præsertim, vt ieiinijs, orationi-
bus, & alijs pietatis operibus diuina auxili-
ante gratia, aduersus carnem, mundum, &
fatanam depugnandum, præcipue si quam
publicè aut priuatim peragendam pœniten-
tiam iniunxit, aut restitutionem præscripsit,
aut fugam occasionum indixit, memoria re-
petendum est.

Quod ad publicam pœnitentiam, non
tamen Solennem attinet, quam potest, & a-
liquando debet Parochus, siue quiuis Con-
fessarius imponere: videat & obseruet, quod
ex saluberrimo Synodi a Tridentinæ decre-
to, in Catechismum b Romanum transla-
tum est.

*Ioan. Fræ-
ciscus Bor-
homius in
refor. Ec-
cles. ca de
pœnitentia.
a Sess. 24^{ta}
cap. 8.
b Sub fe-
nem de
pœnitentia*

NVN-

NUNQUID SATIS DIGNOS POENITENTIAE FRUCTUS FACIO, SI QUOD IN SATISFACTIONEM CONFESSARIUS INIUNXERIT DILIGENTER PRAESTITERO?

Minimè verò: accidit enim non rarò, ut pro multis eisque grauibus peccatis leuiorem satisfactionem imponat sacerdos: siue id ignorantia fiat nesciens pro morbi magnitudine medicinam temperare: siue timore, ne dignam scelerum poenam delictus poenitens sit recusaturus. Quocirca salutis suae flagrantiores & dignas imponi à confessario sibi flagitant, & quantum fert ipsorum fragilitas, etiam non iniunctas poenas ultrò assumunt, & in illis se vsque exercitant.

Enumera aliquot poenitentiae exercitia quibus dem operam, si ad id aliquando Spiritus impulerit.

1. **F**eria sexta hebdomatim à cena abstinere.
2. Carnem suam verberibus disciplina (ut vocant) incussis affligere.
3. Cilicinam vestem aut id genus cingula gestare.
4. Cul-

4. Culcitra ac mollioribus stratis remotis cubitare.
5. Extensis brachijs, aut humi prostratum, precari.
6. Sanctorum memorias & sepulchra deuotè visitare.
7. Sacris tum officijs, tum concionibus & Catechistice institutioni audiendæ assiduè operam dare.
8. Dauidis pœnitentis exemplo media nocte ad laudandum Deum, vel plangendum peccata consurgere.
9. Ad peccatorum conuersionem ope aut consilio studiosè adlaborare.
10. Captare vndeque occasionem misericordiæ opera, tum spiritualia, tum corporalia pro virili exercendi, vt inuiscendi infirmos, mœstos consolandi, &c.
11. Ex intimo cordis affectu pro peccatorum hæreticorum uè conuersione frequenter orare.
12. Orare, eleemosynas largiri, offerre pro fidelibus defunctis.
13. Omnium præstantissima satisfactionis opera, praxeis huius libelli, & illorum similes iugiter & absque interruptione vlla diligenter perficere, vt sunt modus orandi mane, & vespere examinandi conscientiam, verbum Dei cum fructu audiendi, confitendi, communicandi, &c.

GENERALIA QVÆDAM EXTIR-
pandorum vitiorum remedia.

1. **F**requens cum fiducia oratio.
2. **F**requens confessio, & Eucharistiæ sumptio.
3. Fugere improborum, & sectari bonorum societatem.
4. Sacræ scripturæ & piorum librorum lectio.
5. Sacram concionem, ac Catechisticam institutionem minimè negligere.
6. Continuo Christi passionem meditari.
7. Considerare præsentiam diuinæ maiestatis & angelorum.
8. Considerare vitam sanctorum.
9. Considerare quam Deus peccatum oderit ex pœnis quibus peccatores attriuisse legitur.
10. Memorari nouissima.

X X X V I I I.
CONTRA EXITIALEM ET TER-
execrandam blasphemandi, maledicendi, & in-
randi consuetudinem remedia.

- I. **N**on ferret æquo animo vir grauis, si ad
Hæc scitu
sunt per
necessaria.
quasuis nugas, in testem vocaretur.
Hæc enim in re meritò iudicaret sui honoris
non haberi rationem. Quanto æquius in-
digna-

dignatur Dominus Deus ob insignem, quæ ipsi irrogatur iniuriam, quando rem quamlibet, licet nullius momenti sancti, terribilis & adorandi nominis sui testificatione videt comprobari? Et multo vehementius, quando viuifica eius vulnera, & sacramenta, instrumenta nimirum salutis nostræ, blasphemantes, in interitus ac perditionis proximorum media peruertimus: & cū facultas vindicandi non suppetit, Deum inuocamus, qui immittendo pestilentiam, aliasue clades, proximos exterminet, & quod horrendum dictu, quod irati iniuste petimus, ipse beluina immanitatis nostræ sit veluti minister & executor.

In iurandi consuetudine præsens est per-
iurij periculum: contingit enim non raro
iuramento promittere, cuius postea poenitet. Qui blasphemant semper peccatum mortale committunt, nisi fortè præter intentionem ac per inconsiderationem excidat blasphemia, sæpissimè item qui alijs imprecantur: sicut scriptum est, *neque ebriosi, neque maledici regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6.

Qui assuescunt iuramentis vulgo mendaces habentur, adeò vt ne iuratis quidem credatur: qui identidem blasphemant & maledicunt, hoc reportant lucri, vt veluti infanientium eorum iræ contemnantur: familiam, & omnes quibuscum agunt scandalizant. Chrysostr. Hom. 7. ad pop. Antioch.

dalizent; sitq; intolerabilius eis futurum, si suspendatur in collo eorum mola asinaria & demergantur in profundum maris.

4. Blasphemis, periuris & maledicis grauis-
Leu 24. sima quæque interminatur Deus. Magistra-
D. Greg. tibus vt puniat præcepit, sicut & ipse frequen-
lib. 4. Di. ter de illis seuerissimas pœnas exegit. Hac
al. ca. 18. de re scripturæ, & historiæ multa comme-
Niceph. li. morant.
5. ca 9.

5. Vis prauam consuetudinem meliori com-
Hom. 5. ad mutare. Audi D. Chrysof. consilium. Quo-
Antioch. ties in horum aliquot incideris, non tibi ig-
 noscas: Exige pœnam certam, vtpotè elec-
 mosynam, preculas aliquot, ieiunium, rei
 alioquin charæ aut iucundæ quamuis licitæ
 subtractionem, humiliationem, aut simile
 quid. Eadem erit ratio tibi, vxores, liberos,
 aut familiam ab impia consuetudine abdu-
 cendi.

6. Postremò meminisse expedit, eum qui
 annis aliquot mortalibus assuescit peccatis,
 nec vnquam seridò vitam meliorem medita-
 tur, ne in paschate quidem absoluendum ef-
 se, nisi prius per hebdomadas ac menses ali-
 quot, suæ emendationis spem probabilem
 dederit. Ita quidam grauiissimi Doctores
 cum doctissimo Petro a Soto censuerunt: In
 his numeratur Reuerend. D. Ioan. Franci-
 cus. Bonhomius Epif. Vercellenfis S. Aposto-
 lici nuncius cuius verba, ob summam viti-
 -torum

Inff. Sa-
cerd. De
peccatorũ
remedijs.
Leit. 5.

Et oritatem hic ascribere non grauabor. Cō-
cubinarijs (inquit) atque etiam qui pessimū
blasphemandi vsū plures annos re-
tinuerunt, atq; emendare se nunquam stu-
duerunt, ne vllō pacto absolutionē imper-
tiatur (confessarius) etiam si illi iureiuran-
do obstringere velint, se nunquam eiusmodi
scelera amplius admissuros: sed ad aliquot
dies, atque adeò menses pro vt morbi graui-
tas exigere videbitur, absolutionem differat.
Hucusque Vercellarum Episcopus.

Hæc Pastores, Concionatores ac Catechi-
stæ, cum alias, tum præcipuè in prima qua-
dragesimæ Dominica plebi, diligenter de-
clarare operæ precium fuerit.

*In refor.
Ecclesiast.
c. de panis.*

XXXIX.

DE SS. EVCHARISTIA.

*Est nè diligenti opus præparatione communica-
turo corpori & sanguini Domini no-
stri Iesu Christi.*

Est vtique ex hoc enim vberrimo omni-
um gratiarum ac diuinorum charisma-
tum fonte, tantum quisque hauriet, quan-
tum diuino munere, & suo studio paratus,
capere poterit.

Qui sunt huius sacramenti fructus?

Varij illi sunt & pretiosi; Est enim panis
Pp 3 ille

ille super substantialis ac cœlestis, qui nos in hac peregrinatione nostra, ac deserto ad patriam contendentes, nutrit, reficit, recreat atque omni spiritali benedictione sic confirmat atque confortat, ut mala quæuis fringere, ac omnis generis verè bona consequi possimus. *In hoc namque sacro conuiuio, ut habet hymnus Ecclesiasticus, Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur.*

2. Adde quod sy naxis sit & communio qua fideles, tanquam eiusdem corporis membra, inter se iunguntur, ut quicquid in omnibus gratiarum & meritorum exiit, commune sit singulis.

3. *Ioan. 6.* Deniq; quod omnium est optatissimum, diuinus hic panis, tam arcto necessitudinis vinculo fideles omnes Christo capiti suo vnit, ut ipsi in illo, & ille in ipsis uiuat.

X L.

Quo fine ad mensam Domini adeundum?

1. **Q**uidam hæc mysteria frequentant, ut in eorum cordibus, veluti clavis fixa, iugis perseueret memoria passionis Christi, qua nihil Deo gratius, nobisque utilius contingit.

2. Alij id agunt, ut gratiam & dona ipsis necessaria, per vnum hunc mediatorem & redemptorem hominum obtineant, certissimò

mò scientes patrem filio nihil vnquam negaturum.

Capiuntur alij incredibili suauitate, qua
in cœlesti hoc conuiuio & dilectissimi sponsi
sui præsentia perfunduntur, vt nihil illis pos-
sit esse molestius, quam mora aliqua longio-
ri ab hisce epulis arceri.

Plerique haud ignari, plurimos in suis an-
gustijs, periculis, & veluti deploratis malis,
sacratissimi huius sacramenti vsu frequen-
tiori solatium & auxiliũ consecutos, & pro-
priæ infirmitatis siue corporis siue animæ
conscij, huc veluti ad cœlitus missum salutis
medicũ confugiunt, firmitatẽ & malorum
depulsionem cum fiducia expectantes.

Nonnullos gratitudinis studiũ accendit;
cum enim in singula momenta, maxima à
Deo accipiunt beneficia, nec suppetit quo
grati animi testificationem commonstrent,
cum propheta aiunt, *quid retribuam Domino
pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris
accipiam & nomen Domini inuocabo.* Quod per-
inde est ac si dicant, Quando pro immen-
sis in me collatis beneficijs, quod patri cœle-
sti rependam nihil inuenio, offeram ei vni-
geniti filij sui acerbissimam passionem, ac
merita efficacissima, hoc enim munere nihil
in Dei conspectu pretiosius, etiam si vel mil-
le mundos offerres.

Pp 4 De-

Denique quotiescunque digne hic panis sumitur, auxilium confertur viuis, defunctis autem requies paratur; Siquidem nihil æquè misericordem Dominum ad nos amandos inflectit, atque innocentissimi Filij sui sanguinis oblatio, quem dubium nullū est, Patrem cœlestem pro nobis interpellare, quoties suæ acerbissimæ passionis memoriam recolimus. Hoc sacramentum arbor est vitæ in medio paradyfi plantata, cuius fructibus, qui se satiat, diuina luce collustratur, cœlestem haurit sapientiam, animi constantiam, corporis vigorem, totius hominis cōsolationem, demum quicquid secundum Deum desiderat, fœliciter consequitur.

X L I.

QVOTIES SANCTISSIMVM HOC
sacramentum sumendum censet?

Ad Pro
bam.
Act 2.
De cōsecr.
d. 2. ca 1.
Peracta

Qui in Christianis negligentiores sunt, non nisi præcepto Ecclesiæ coacti accedunt, sitque illis quotidianus panis, annuus non absque graui fidei, pietatis ac religionis iactura, quod & olim D. Augustinus grauius quæstus est. Quibus verò sua salus maiori est curæ, ij si non quotidie (vt olim primis Ecclesiæ temporibus in more positum fuit) saltem sepius in anno, magna cum animi ala-

cria-

critate, spirituali gaudio, ad cœlestes epulas accedunt, vt quos hactenus fructus commemorauimus inde referant.

*Amb. de
sacram. li.
5. ca. 4.*

*De prouida Dominorum cura erga familiam
in hoc negocio.*

Qui domibus præsumt, norint sui officij esse, efficere quantum in ipsis est, vt suo tempore filij ac famuli familias confiteantur: Neminem tamen ad communionem cogant, ne in paschate quidem, sed confessarij arbitrio id relinquunt. Cum verò alicui subditorum communionem interdicit confessarius, causam ipsi non exquirant, ne se a suis periculo inuoluant.

Pueri decem aut plurium annorum, qui per rationis vsu sacramenti capaces esse incipiunt, confestim iuxta huius libelli præscriptum de sacramento instituantur, ne cœlesti hoc thesauro, non sine parentum peccato, & suo ipsorum spirituali damno, diutius quam par est, priuentur.

*Qua etate
pueri sint
ad commun-
ionem ad-
mittendi.*

X L I I.

QUOMODO ME AD DIGNÈ
*sumendum Christi corpus præ-
parabo?*

Remouenda imprimis quæ impediunt, vt sunt peccatum mortale, & excom-
muni-

*l.
Remotio
impedim-
torum*

Pp 5 muni-

Notent
coniuges.
1. Cor. 7.

municatio, impedit etiam cibus post mediam noctem potusque quantumuis minima quantitate sumptus. Abesse quoque decet somnolentiam pigritiamque; omnem, ac praesertim corporalem pollutionem, etiamsi absque peccato eueniet.

2.
Prompta
& efficax
Deo serui-
endi vo-
luntas fide
sincera
nitens.

Secundum est accedere bona cum voluntate inseruiendi Deo, quae bonis operibus cum opportunum fuerit, confirmetur & cum fide sincera, ad nutriendam animam sanctissimo Christi corpore.

3.
Humili-
tas.

Tertio, curandum, ut magna cum humilitate, ex consideratione tantae maiestatis ac sanctitatis, ad communionem accedatur.

4.
Deuotio.

Quarto, quaerenda est deuotio per considerationem passionis Christi, & benignitatis in hoc sacramento exhibitae, ad spem & amorem seipsum excitando: ad quod oratio cum caelestium rerum meditatione iuncta multum valebit.

In ipsa vero perceptione quid seruandum?

1.
Charitas.

VT diuini amoris ignem in nobis excitemus; quod duplici consideratione consequemur: altera passionis Christi, ex cuius vulneribus amor conuenientissime hauritur: Altera praesentis beneficij, in quo tanta cum dignatione & charitate **IESVS CHRISTVS** se communicat, tamque familia-

miliariter & intimè nobis coniungitur: nec solum eius maiestas pauperem nostram domum ingreditur, & à nostris vulneribus nō abhorret, sed sanguinem etiam suum & corpus, in medicamentum donat, ad nos sanandos, præseruandos, confirmandos.

Secundò exercetur spes, considerando, in Christo esse, quicquid confidentiam excitare potest: hinc quidè, quoniam potest omne bonum nobis conferre, cum sit omnipotens, & indigentiam nostram perspectam habeat. Cum ergo accedamus ad mare immensum bonorum omnium, quomodo nō hauriemus aquam gratiæ abundanter ex eo? Inde verò, quia vult omne bonum nobis impertire, cum sit summè benignus, cum nos diligat plusquam nos ipsi, magisq; nobis largiri sua dona, quam nos recipere, desideret; cumq; ubi nostrum defuit, suum nobis impendit meritum. 2. Spes.

Tertiò ex intimo corde gratias agere pro tanto beneficio, & charitate, quæ nos amplexus est. 3. Gratiarū actio.

*Quid percepta communionem facien-
dum?*

Post communionem, ad fructum huius sacramenti seruādum & magnopere augendum confert.

Pri-

1. Primò, custodia sollicita sensuum linguæ & cogitationum, post tantum hospitem domi nostræ exceptum: Etsi accideret quid committi, quod ipsius oculis displiceret, statim cum dolore, ad veniam petendam accedere, & ne à nobis recedat, suppliciter orare.

*Cauere ne
quæ re ho-
spes rece-
ptus offen-
datur.*

2. Secundò, exhibere huic hospiti, quicquid obsequij bonorum operationum, ex ipsius amore, poterimus; & quod eisdem deest bona voluntate supplere, illius gloriæ amplificationem cum maxima cupiditate desiderando.

*Omne su-
scipto ho-
spiti exhi-
bere huma-
nitatem.*

3. Tertiò, assistere huic summo hospiti domi nostræ suo loco & tempore, per meditationes & orationes deuotas, nobis & proximis nostris omnia necessaria & vtilia petendo, laudando, gratias agendo. Iuuat ad hoc ipsum crebro ad sanctum hoc sacramentum accedere, penitus enim nos in Iesum Christum ingrediemur, & magis ille nos faciet, bonorum suorum participes.

*Familiari-
ter conuer-
sari.*

X L I I I

QVÆ PRORSVS INDIGNVM
reddunt hoc sacramento?

1. *Quando fe-
sta cõmu-
nionis in-* **S**cienter in confessione peccatum ali-
quod mortale vel circumstantiam neces-
sariò explicandam, aut omnino reticuisse,
aut tam obscure & cum rei gestæ extenua-
tione

tione enarrasse, vt malitiam sacerdos non
deprehenderit.

Non quidem de industria, sed supina qua-
dam negligentia, leuiter & superficie tenus,
tuæ conscientia latebras discussisse, ideoque
nec integrè confessum esse.

De peccatis admissis non doluisse, ac in
posterum cauere velle firmiter secum non
statuisse.

Ignorare symbolum Apostolorum, ora-
tionem Dominicam, salutationem angeli-
cam, Decalogum, & Ecclesiæ præcepta, nec
ad discendum paratum se offerre.

Habere absque legitima facultate libros
hæreticos, qui enim hoc præsumunt excom-
municantur, hoc est, à Deo & eius Ecclesia
maledicti sunt.

Iniuste parta, vel inuenta Domino suo
non restituere, debita contra eius cui debet,
voluntatem, cum potes, non soluere, famu-
lis ac operarijs, aut tardè aut nullam, aut non
integram mercedem pendere.

Toto anno vulgaribus quidem, sed gra-
uibus peccatis consuescere, & circa pascha
consuetudine quadam, & ne videamur non
Christiani esse, potius quam Dei amore, &
odio iniquitatis, ac vitæ melioris desiderio
confiteri, atque in eodem luto hære per
omnem ætatem, nulla vitæ emendatione
vnquam

stāt oppor-
tuum erit
hæc propo-
nere.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

vnquam consecuta, nec conatu vlllo perficiendi, adhibito.

1. In huiusmodi, primi sunt, quibus lubet in dies singulos, aut certè sapissimè, sacrilego ore Christi vulnera, sacramenta, sanctos & Deum ipsum blasphemijs incessere.
2. Deinde qui ad quodlibet verbum, per Deum, per animam suam aut quouis alio iurandi modo, iurare non perhorrescunt.
3. Præterea quorum cor, velut abominandum sterquilinum, continuis luxuriæ cogitationibus scædatur: Quibus annumerandi, qui scurilibus verbis (ô immanes animarum proditores) etiam innocuæ ætatis pueros nequaquam reueriti, se mutuo, absque fine, quasi tempus fallentes oblectant, quique aut secum, aut cum alijs impudicè agendo modum nullam faciunt.
4. Præterea qui ebrietatibus, comessationibus, ludis & otio, non absque vxoris vel liberorum mœrore & detrimento, tempus omne transigunt: & si quæ lucrantur, aut per intemperantiam scædè absumunt, aut stultè ne dicam nequiter, prodigunt.
5. Postremò qui festorum, ieiuniorum, debitæ decimarum oblationis, & si quæ alia Ecclesiæ præcepta sunt, rationem non habent, nec vt suæ curæ commissi habeant, curant.

Hos

Hos & similes, non tam peccata, quam peccatorum status, communionem omino indignos reddit, in quibus concubinatus vel principem locum obtinet. Huiusmodi infœlix hominum genus, simul atque confessi fuerint absoluerè, præsertim si cum alias confiterentur seriò admoniti non ad laborarunt, ut promissa emendatio vitæ consequeretur, est animas illorum rectà ad perpetuos inferorum cruciatus deducere, aut ad minimum præsentissimo periculo obijcere.

Quid facilis ad temeraria absolutio conferat.

Hi verò, qui nec incuria, nec inueterata malitia peccant, sed humana fragilitate (sæpius licet & grauitè) interdum eundem in scopulum impingunt, non solum patienter, & cum doloris è lapsu fraterno orti significatione ferendi, sed & dirigendi, atque in spem erigendi, viaque eis monstranda, qua salua nauis & mercibus euadant: ostendenda arma, atque ad eò manibus illorum porrigenda, quibus infestis piratarum machinationibus obuiant, eosque deuincant,

in eis frequens sacramentorum vsus,
vel præcipuum locum
obtinere.

I N-

INGRVENTE ALIQUA TENTA-
tione diabolica quid agendum?

1. **C**um prava cogitatio menti incidit, quæ ad peccandum sollicitat, nulla mora interposita S. crucis ☩ te signo communi, & ad Christum ut exemplar vitæ nostræ conuertendum conuerte: considera diligenter quanto studio, doctrina ac vitæ exemplo contrarium eius, ad quod prava suggestio prouocat, edocuerit: quæ item quantaque passus sit, ut te à peccato redimeret.
Intuere eundem Christum tibi astantem,
2. & abs te obnixè contendente, ne peccando, quantum in te, doloribus (quos propter te perpeffus est plurimos) immani feritate dolores, & vulnera vulneribus, addas, ac mortem iam antea toleratam renoues: te ipsum tanto pretio redemptum, ob tantillam siue falsæ ac venenatæ voluptatis iucunditatem, siue exigui citoque perituri lucelli commoditatem, siue vani inanisque honoris summum perditum eas.
Intuere eundem Christum, ut omnium
3. quæ facimus, molimur ac cogitamus inspectorem, testem & iudicem, cuius aspectum non vereri, summæ esset impudentiæ.
4. Esto fide speque firma, optimum fortissimumque adiutorem, tibi non defuturum,
qui

qui nemini non succurrit in tentatione constituto, ac in se fidenti, iuxta fidele eius, omni que acceptione dignissimum verbum, *Inuoca me in die tribulationis & exaudiam te, & Psal. 49.*
alibi cum ipso sum, in tribulatione eripiam eum, & Psal. 90.
glorificabo eum, ac proinde deuote, instanter ac magna cum fiducia tibi orandum memineris.

X L V.

QVA INDVSTRIA VTENDVM
 cum premit aduersitas quacunq;

PRimum veluti saluberrimus fructus discenda patientia est. 1.

Secundò, calamitatem qua cum luctatur, Christianus faciat humilitati exercendæ deferuire, sponte sua ac hilari animo, *omne quod appositum sibi fuerit* (sicut ait scriptura) de manu Domini accipiendo, seque grauioribus flagellis nihil dubitet dignissimum. 2.

Tertiò, ex ipsis quibus vrgetur malis philosophetur, quam sit ipsum peccatum exitiale, ac modis omnibus detestandum, ex quo veluti læthali fonte quicquid siue in terris vsquam, siue apud inferos malorum est, scaturit. 3.

Quartò gratias agat, qui quem recipit filium castigat. 4.

Postremò in scelicitatis loco reponat patienti atq; afflicto Christo conformem fieri. 5.

Qq IN

IN CORPORIS INFIRMITATE
quid homo pius prestabit?

PRimum quidem cum morbum sentit, mentem animumq; firma fide nixum ad Deum conuertat, memorans absq; Dei siue immissione, siue permissione, nec capillum quidem capitis nostri decidere. Habeat illud persuasissimum, Deum in suos paterno esse animo, nolle mortem peccatoris, & omniam tandem, tam prospera quam aduersa, in electorum salutem cessura.

I. In infirmitate itaque Deum tanquam se visitantem & cœlestem medicum, qua vel plagę commissorum peccatorum curentur: vel à committendis præseruemur, agnoscat:

Innoc. De penit. & remis. ca. Cum infirmitas: Quocirca antequam medicinam naturalem (quam velut Dei munus insigne non contemnit) adhibeat, post exactam conscientię suę discussionem, magna puritate, humilitate, & Deo placendi desiderio, peccata confiteatur. Et cum fieri potest, animam venerabili corporis Domini sacramento sumpto refocillet & erigat, fretus firma spe pristinę valetudini diuino munere se restitutum iri, modo id ad Dei gloriam, propriamq; salutem conducat.

2a Non ferat impatienter, nec murmuret si languor prolixior excruciet. Dolorem namq;

namq; impatientia nec aufert, nec lenit: sed exasperat atque auget. Sponte itaque, quod necessarid tolerandum est, sustineat: rectè existimans, nihil mali impune esse, satiusque hic quam in futuro sæculo puniri.

Id etiam secum reputet, infirmitatem quandoque veluti singulare munus filijs à Deo donari, vt probentur ipsi, eorum ue virtus in infirmitate perficiatur, & merita crescant. Sic enim ait Ecclesiasticus. *Sustine sustin-
ziones Dei, coniungere Deo & sustine, vt crescat in
nouissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fue-
rit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate
patientiam habe. Quoniam in igne probatur, aurū
& argentum, homines verò acceptabiles in camino
humiliationis.* Non desunt in nobis, quæ ocu-
lus diuinæ maiestatis offendunt. Hæc hu-
miliationis igne excoquenda: lapides viuū
sumus ex quibus ciuitas sancta, cælestis Hie-
rusalem, templum Dei viuum construendū,
malleo feriri, quadrari, expoliri nos oportet, sicuti beatissimi viri maiores nostri, Iob,
Tobias, Iosephus, Dauid, Apostoli Domini,
ipso sacratissima virgo Maria Dei genitrix,
ac denique sancti omnes suo vitæ exemplo
nobis commonstrauere. Hi enim Christum
sequuti per varias tribulationes, de satana,
mundo, ac carne propria triumphantes, in
vitam ac gloriam æternam ingressi sunt.

QVOMODO IVVANDI QVI IN
mortis sunt periculo?

1. **P**Rimum quidem, ne, quod absit imparatum mors improvisa ægrum opprimat, minime committendum, vt in quo sit periculo ignoret. Studeant itaque qui eius curam habent, aut eum inuisunt, opportuno tempore, fideliter, ac peramanter, id quod est, indicare, atque eo modo, vt intelligat æger ex charitate fraterna, sollicitudine, ac desiderio salutis id proficisci. Exhortentur itaque vt ad instantem exitum ac certamen forti animo, vt Christi athletam decet, se comparet: sciatque se post obitum ante diuinæ maiestatis tribunal continuo sistendū. Vbi nemo innocens reperitur qui non sit Christo reconciliatus. Ac proinde (nisi iam ante præstitum fuerit) admoneant, & quæ peccauit secum despiciat, doleat, confiteatur sincerè ac humiliter, & si expedit aut necessarium de tota vita ac si confessus esset nunquam, tum vt à peccatis omnibus, tum ab alijs quibusuis vinculis absolutus, satanæ tendiculas, qui in fine vitæ grauius tentare solet, facilius eludat.

Si autem confitendi defuerit occasio, aut temporis angustia excludant, excitetur in ægro horum desiderium, eique indicetur
pro-

propositum hæc faciendi, cum deest facultas, apud Deum pro ipso opere reputari; Dei præterea immensam benignitatem, quæ nobis iam efficacia & media & remedia contulit, voluitque passim obuia esse, inculcent: & contra *horrendum esse incidere in manus Dei*, quod fiet si in præsentis momento & periculo, suam salutem negligat.

Hæc hisque similia vel aspere vel leniter ægro, habita tum mentis, tum ægri ratione, sunt proponenda.

Monendus deinde, ubi id res postulabit, ut suum ita condat testamentum, reliquaque ut nouit, optimè disponat: tanquam ea de re breui Deo rationem redditurus.

Præterea cum proximo, dum adhuc in via est, ut monet Christus, in gratiam redeat.

Seria sit & ea monitio, ut pro facultate in pauperes elargiatur eleemosynas, ut cum *defecerit, ipsum recipiant in aeterna tabernacula: Inculcetur ei illud Angeli Raphaëlis. Eleemosyna a morte liberat & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam.*

Rebus igitur domesticis ita dispositis, ac percepto pœnitentiæ sacramento: crebrò monendus, ut se totum ad Deum conuertat, eiusque sanctissimæ voluntati committat; mundi huius, omniumque quæ in ipso sunt oblitus, ad nouam regionem, terram

Qq 3 viuen-

viuentium, hæreditatem cœlestem & vitam illam perennē ac beatissimam aspiret, magno & ardenti desiderio Christum seruato-rem suum substantialiter in sacramento præsentem, vt peregrinationis suæ viaticum, & arcam seu pignus salutis sumat, hac fidelissima promissione veluti sacra anchora nixus. *Qui manducat hunc panem viuet in eternum.* Curret præterea post sumptionem Eucharistia, vt sacro oleo inungatur: deuota fide recollat promissiones quibus Dominus sacramentum extremæ vnctionis fidelibus commendatissimum esse voluit. De qua re S. Iacobus apertè scribit.

Io. 6.

Iac. 5.

Porro cum in hora mortis fatanas nihil relinquat intentatum, si fortè animam deglutire possit, tum præsertim ad fidē, spem, & charitatem euertēdam suas machinas adhibet, proinde adhæc ipsa firma incōcussa que conseruanda, monendus, excitandus atq; animandus est infirmus: dicendū vt fidem velut scutum, *quo omnia diaboli ignita-cula extinguat*, nequaquam sibi sinat eripi: spem suam veluti *anchorem salutis* in Christum iaceat: charitate se induat tãquam veste nuptiali, cœlestibus nuptijs iam iam adfuturus.

Pium ac vtile quoque fuerit, ad agonem tendentibus crucem ostendere, imaginem identidē Christi crucifixi manibus eius amplectendam porrigere, monereq; vt in vitute

tute meritorum passionis ac mortis Christi, cruce veluti peregrinationis baculo vtatur, nihilque dubitet, se per eam diabolum fugaturum, & gaudentium angelorum societatem inuenturum.

Sed & pia maiorum & laudabili consuetudine, cereus accensus ægro animã agentidatur: quare monendus, ne Christo comite, *Cereus datur animã agentibus.* qui est lux vera, vel mortem, aut inferorum tenebras exhorrescat, ipsum enim *qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vita.*

Apud ægrum præterea sit aquæ benedictæ creber vsus contra dæmonis insidias, eaque aspersa, quoad fieri potest, salutarem effusi Christi sanguinis memoriã refricet, cuius profusione & redempti, & dæmonis potestate erepti sumus. Proinde supplex Deo fiat ex animo, vt quemadmodum abeuntes filios Israël ex Ægypto sanguis agni supra limen aspersus, ab interitu seruauit immunes, sic in hoc sui exitus momento: sanguinẽ illũ agni immaculati sibi sentiat esse salutarem.

X L V I I I.

QVA RATIONE PIE ET CVM

fructu dies festi celebrantur?

Respondet D. Bernardus. Tria sunt quæ in festiuitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram.

Qq 4 Auxi-

Auxilium eius quia qui potens in terra potentior est in cœlis ante faciem Dei sui, si enim dum hic viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro ijs, nunc tanto amplius, quanto verius cognoscit miseras nostras orat pro nobis patrem; quia beata illa patria charitatem eius non imminuit sed augmentauit; neque enim quia impassibilis omnino, ideò & incõpassibilis factus est, sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit.

Debemus etiam attendere exemplum eius, quia quamdiu in terris visus, & cum hominibus conuersatus est, non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram, sed regiam viam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit. Ego sum via, veritas & vita, &c.

Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus, quia homo ille (nimirum sanctus) similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus, quo & nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed & impossibile credimus vt faciamus opera, quæ fecit, vt sequamur vestigia eius, &c.

3.
Lib. 20. *cõtra Faustum.* Beatus item August. sic breuiter & pie. Populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandum imitationem & vt meritis eorum confocietur atque orationibus adiuuetur.

ORA.

X L I X.

ORATIO PRO SCHISMATIS A-
uersione à Catholica religione.

Domine Iesu Christe qui fidelis es & pi-
us tui ouilis custos, & nauis Ecclesiæ
gubernator; fidelis sponsus tuæ sponsæ, &
diligens procurator & cultor tuæ vineæ. Ah
Domine quamdiu dormies? Quando exper-
gisceris ne funditus pereamus? quam mise-
randa populi tui dispersio, quam noxium
schisma: quanta verbi diuini corruptela?
quam horrenda sacramentorum violatio,
quanta diuini tui cultus contemptio & pro-
pè interitus? quid de his vel dicere vel cogi-
tare possimus? ô misericors Deus nisi te qui-
dem id non nescire, sed nostris peccatis tuam
à nobis faciem auersam, ac proinde Satanam
accepisse potestatem perditissimas quasque
sectas inuehendi, ad multorum æternam sa-
lutis iacturam. Domine miserere reliquæ
multitudinis, quæ sua genua ante Baal, & au-
reos vitulos nouorum schismatum non cur-
uauit; conserua eam Domine, vt tanquam
aurum in fornace purgetur ac probetur. Mi-
serere tuarum ouium, quæ ex ouili tuo ab-
ductæ, non intelligunt quam periculosè pa-
lentur. Da eis fideles pastores, qui eas, & ex-
emplo, & doctrina sana reducant & seruent.

Arce Domine lupos rapaces, toti mundo

Quia 5 palam

palam fac, vt sub pellibus ouium, specie veritatis, verbi Dei, & Euangelij, miserandum in modum plebeculam dispergant, lanient & maectent. Moue corda tuorum Episcoporum & presulum & pastorum, vt quod suum munus sit melius aduertant, diligentius attendant sibi, gregique commisso, quem tuo tibi sanguine peperisti. Animum suggere, vt non se, sed gregem pascant: Principibus vero, & qui Remp. administrant, da vt omnem suam voluntatem in ornadam domum Domini conferant, seduloque cogitent, quemadmodum pace restituta, hoc tantum malum ab Ecclesia, in qua vna salus, extirpetur: regnum diaboli dissipetur: tuum regnum, gloria, & honore ubiq; ab omnibus in omnem æternitatem, iam inde ab hac hora augeatur, Amen.

L.

ADMONITIO FACIENDA IN DOMINICA
quingagesimæ ad populum de non violando ieiunio quadragesimali ipsa die cinerum.

PAulatim apud nonnullos irrepit impia libido sacrum quadragesimæ tempus, & ieiunia in ipso ieiunij capite, hoc est, quarta feria cinerum, non sine graui pusillorum scandalo, carniū commestione violandi. Faciunt hoc homines leues, & in fide Catholica parum

parum fundati, nihili ducentes Christi & Ecclesie sacrilegam irrisionem, & fidei Catholice contemptum, quæ ex audaci & temeraria saluberrimorum Ecclesie præceptorum transgressione, necessario sequitur. Idcirco parochus aut Catechista, ad se spectare sciat, ab hac pestilenti & maioribus nostris inuisa temeritate, in ipsa quinquagesima suos auditores deterrere firmis rationibus adductis.

Indicabunt vno eodemque præcepto ad parasceuen, & primum quadragesimæ diem ieiunandum, fideles astringi.

Petulantia non ferendæ & summæ intemperantiæ, indicium esse carniū ollas tam citò tantoque ardore desiderare.

Cinere illo die suos aspergit Catholica Ecclesia in signum pœnitentiæ. Qui hanc irrident, & pœnitentiæ loco, carnibus vorandis sese temere dedunt, viderint, ne illis contingat, quod pueris de vrbe egredientibus, & prophetam Elizeum irridentibus.

Præterea quis non videt qui tantum sibi sumpserit licentiæ à solida pietate tam longè paulatim abduci, vt non solum totam quadragesimam, sed omnia alia Ecclesie præcepta pro minimo ducat, eoque impietatis tandem dilabatur, vt iuxta Dei æquissimum iudicium tanquam ethnicus & publicanus haberi deceat.

Quid

5. Quid mali inquires, si exiguum id reliquiarum, cum gratiarum actione, sumam aut liberis seu familiæ comedendum porrigam ne quid pereat, quod in usum nostrum creavit Deus? non facio ex contemptu, & occultè quidem ago, ne cui sim offendiculo.
6. Itane frater, ne pereat pusillum quidem donorum Dei, Deum ipsum eiusque perenne regnum prodes? filios ac familiam ut preuaricentur Ecclesiæ mandata in suam ipsorum certissimam perniciem, ipso opere instituis? Nunquid in eius honorem ac obsequium à quibusdam cibis abstinebis, qui sua largitate, & eos, & omnia quæ habes, imò & pro te seipsum in acerbissimam mortem donauit?
7. Quid quæso si manduces habes utilitatis? Nunquid idè aut opibus locupletior, aut corporis firmitate valentior, aut viribus euades constantior? detestabilis omnibus sæculis Iudæ proditoris perseverat memoria qui vniuersorum Dominum & suum, triginta argenteis vendidit: & nos (ô pudor) eum nihilo vendemus? Impiam huiusmodi ingratitude[m] etiam in hoc sæculo fame, peste, ac alijs calamitatibus seuerissimè diuina vindicta persequitur, ut qui à carnibus ad modicum continere nolunt, multo

tem-

tempore ne quidem panis tantum habeant,
quo famelicum stomachum exatent.

Quo loco impiam illam temeritatem
Christianitas iam olim habuerit, non pige-
bit hoc loco ascribere. *Quisquis absq; inevitabi-* IO.
li necessitate, & euidenti languore, diebus quadra- In concil.
gesime esum carniū præsumpserit attentare, non Tol. S. can.
solum reus erit resurrectionis Dominica, verum et- 9 celebra-
iam alienus ab eiusdem diei communione, & hoc il- to ante an-
li cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore, ab nos. 800.
omni esu carniū abstineat gulam, qui sacris die- quomodo
bus abstinentia oblitus est disciplinam. sint irriso-
res puni-
endi.

Equidem cum peccatur publicè æquum
esse videtur, præuaricatori necessarium, &
communitati vtile, vt quæ in sacrilegam vo-
racitatem decreta sunt, omnino seruentur:
aut ad minimum, vt non cum alijs in pas-
chate ad sacram communionem admittan-
tur: sed post dignam & publicam actam pœ-
nitentiam alio tandem tempore communi-
cent: viderint Pastores qui secus agunt ne

& alienorum peccatorum participes
fiant, & sua conniuentia, pieta-
tem, iustitiam, ac fidem
omnem pro-
dant.

QVIBVS DIEBVS PER ANNUM
à carnibus sit abstinendum?

Singulis hebdomadibus in tota dicecesi Treuirensi, maiorum consuetudine abstinendum à carnium vsu feria sexta & Sabbatho, nisi in alterum horum incidat Natiuitas Christi: neque Sabbata inter Domini natiuitatem, & virginis purificationem uenientia, à dicta abstinencia lege eximuntur.

In festis B. matris Dei, unicum est assumptionis, in cuius vigilia ex præcepto Ecclesiæ est ieiunandum. In reliquis, quæ in foro celebrantur, præueniunt multi solennitatem ieiunio, non ex obligatione: sed pia ac valde laudabili, in virginem deuotione.

Omnes autem, etsi non ieiuent, à carnibus continent; quod, vt laudabilis consuetudo, merito retinendum.

In die S. Marci Euangelistæ propter publicas preces non vescimur carnibus, nisi forsan in paschalem hebdomadam incidat.

Feria 2. 3. & 4. rogationum, quæ Domini ascensionem immediatè præcedunt, similis seruanda abstinencia.

LII.

IEIUNIA EX ECCLESIAE PRÆ-
cepto à fidelibus per annum obser-
uanda.

Vigilia S. Matthiæ.

Quadragesima in qua concurrat ie-
iunium quatuor temporum.

Vigilia pentecostes.

Feria 4. 6. & Sabbatho post pentecostem
ieiunium quatuor temporum.

Vigilia S. Ioannis Baptistæ.

Vigilia SS. Petri & Pauli Apostolorum.

Vigilia S. Iacobi.

Vigilia S. Laurentij.

Vigilia assumptionis Mariæ.

Vigilia S. Bartholomæi.

Feria 4. 6. & Sabbatho: post exaltatio-
nem S. crucis ieiunium quatuor tempo-
rum.

Vigilia S. Matthæi.

Vigilia SS. Simonis & Iudæ.

Vigilia sanctorum omnium.

Vigilia S. Andreæ Apostoli.

Feria 4. 6. & Sabbatho post D. Lucie ie-
iunium quatuor temporum.

Vigilia S. Thomæ.

Vigilia natiuitatis Christi.

ADMO-

ADMONITIO PRO PRIMA QVA
*dragesima Dominica.**Prax. 43.
c. 58 §. 6.*

EXpedit vt pastores, concionatores, Ca-
techistæ in ipsa Dominica Inuocauit,
clarissimè plebì explicent, quæ superius di-
cta sunt de illis, qui communionem corporis
Christi indigni sunt, vt norint omnes qua-
ratione se ad pascha celebrandum compara-
re debeant, ne cum damno & dedecore be-
neficio absolutionis, ac salutaris corporis
Christi viuifico cibo orbentur. Non ignoret
tamen Sacerdos propter occultum crimen
publicè Eucharistiam petenti non esse ne-
gandam, etiam si confitentem absolueri non
potuerit.

L I I I I.

DE IMPEDIMENTIS MA-
TRIMONII.

*Quæ sunt impedimenta, quæ si quis norit detegit
iubet Pastor, cum publicè pronunciat esse,
qui nuptiarum sœdera inire
constituerint?*

Res hæc in primis cognitu necessaria, at-
que omnibus merito explicanda. Sunt
huiusmodi impedimenta in duplici genere.
Quæ-

Quædam enim cum inueniuntur, etiã quod contractum putabatur matrimoniũ, prorsus rescindunt, faciuntque inane ac irritum esse. Quædam efficiunt, vt sine peccato non contrahatur: si tamen contractum fuerit, valet.

Quenam impedimenta contractum matrimonium dirimunt?

Commemorabo ea tantum quæ facile contingere possunt.

Votum castitatis solenne, quale Deo nuncupant, qui aut sacro ordine aliquo initiantur, aut in religione approbata professionem faciunt.

Cum itaque concubinam suam Presbyter aut Monachus in facie Ecclesiæ ducit: manent post, vt ante æquè imò magis sacrilegi: eadem est ratio de monialibus incestè nubentibus, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Cognatio seu consanguinitas: nam qui intra quartum gradũ sibi inuicem sanguine iunguntur, matrimonium inire non possunt: Est & quædam cognatio spiritualis in sacramentis Baptismo & confirmatione contracta, inter susceptores & susceptum, cuius parètes efficiuntur: & inter eosdam susceptores & suscepti parentes, quibus compa-

R r tres

tres fiunt, quæ pari ratione, vt carnalis cognatio, ad matrimonium ineundum reddit inhabiles.

Crimen cum videlicet coniugum alter coniugem suum, operam suam dante tertia aliqua persona, interimit, inter viduum & homicidam non potest consistere matrimonium: vel cum alter coniugum adulterat, & postea suum interficit coniugem, homicida cum adultera vel adultero non potest contrahere: vel cum alter coniugum, non solum adulterat, sed etiam adultero vel adulteræ matrimonium spondet, non poterit id efficere etiam post obitum naturalem coniugis.

Vis.

4. Habere coniugem.

5. Affinitas, quæ impedit vsque ad quartum gradum; Nascitur autem hæc non solum ex legitimo seu matrimoniali congressu, verum etiam fornicatorio: monendi proinde iuuenes lasciuientes, nedum seruiunt suæ libidini, vna fortè venere sibi ipsis impedimento sint, quo minus per nuptias in honestam ac diuitem familiam inscribi possint. Sciendum tamen beneficio concilij Trid. affinitatem ex fornicatione ortam, non nisi vsque ad secundum gradum, contractum matrimonium dissolvere.

Quod si legitimo matrimonio superuenit

erit affinitas, non equidē ipsa dirimet matrimonium, si quidem ad mortem durat, peccat tamen incestuosus ille nisi cum ea dispensatum fuerit, quotiescunque exigit debitum. Quocirca, quid illi sit faciendum confessorium aut peritum aliquem consulat.

Quenam tantum impediunt contrahendum?

Interdictum Ecclesiae, tempus quo non celebrantur nuptiae, votum simplex castitatis: sponsalia quibus quispiam alteri dedit fidem, vxoricidium vel mariticidium.

Quæ porro de tribus proclamationibus, clandestinorum matrimoniorum irritatione, & ne in eadem domo sponsi ante sacerdotalem benedictionem morentur, ante contractum diligenter de peccatis suis confiteantur & communicent, & nuptiarum solennitate, qua decet modestia & honestate celebrandis, & id genus alia ab Ecclesia vtiliter sancita sunt, diligens, & animarum salutis sitiens Catechista, ex decretis sacrosancti concilij Tridentini declarare non omittat; ac præsertim illud omnibus interdictum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quamcunque personam inuitam nubere cogant. Graue enim peccatum, ac multorum malorum scaturigo, libertatem matrimonij violare.

Rr 2 Præ-

1. Cor. 7. Præterea quomodo qui vxores habent esse debeant, iuxta S. Pauli doctrinam, tanquam non habentes, & suo tempore continere, ne sint sicut equus & mulus super quos demon potestatem habet, vt Archangelus Raphaël testis est, intelligant, quibus opus, maximè noui coniuges ex docto, prudenti, ac pio animarum curatore.

Tab. 6.

L V.

QVIDNAM OFFICII FIDELIBVS
defunctis mihi præstandum?

Eccl. 7.

Mortuo non prohibeas gratiam ait Ecclesiasticus, quod & strenuus ille ac sanctus dux Iudas Machabeus optimè intelligens, oblationes pro ijs fieri curauit, qui cum pietate dormitionem acceperant. Cuius pium officium commendans scriptura ait, sancta ergo, & salutaris cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur..

2. Mac. 12.

Quibus suffragijs à pœnis soluntur animæ
defunctorum?

Oblatione corporis Domini, orationibus, Eleemosyna, ieiunijs; sicut vnanimiter cum patribus sanctis Augustino & Chrysostomo vniuersa tradit Ecclesia.

De verbis
Apostoli
Ser. 34.

Verba diui Augustini clara sunt orationibus, inquit S. Ecclesie & sacrificio salutari & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est

est dubium mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quam peccata eorum meruerunt: hoc enim à patribus traditum vniuersa tenet Ecclesia: Chrysoftomus. Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.

Ho 32. in
Matth 69
ad po-
pu. Anst-
och.

*Oratio dicenda dum per cœmeterium
itur.*

O Fideles animæ quorum corpora hic & vbiq̃ue in dulcissimo nomine IESV quiescunt, gratiam suam vobis impertiatur Deus Pater, redimat vos Deus filius, consoletur vos Deus Spiritus Sanctus: vestri misereatur Maria, intercedant pro vobis omnes cœli ciues. Orate & vos fideles animæ pro me misero peccatore, Amen.

Pro viujs & defunctis sæpè dicenda.

DA Domine requiem defunctis, pacem viujs, peccatoribus veniam & vitam æternam, Amen.

Cum accipis aquam benedictam.

LA VA me Domine ab iniquitate mea, munda me Domine IESV à peccatis meis, qui me pretioso sanguine tuo redimere, & per sacrum Baptisma abluere & saluare dignatus es, Amen.

Rr 3 Rem

Rem quempiam aggrediens sic ora.

Concede mihi gratiam tuam Domine Pater cœlestis facere in gloriam ac laudem in nomine Domini nostri Iesu Christi auspiciandi atque perficiendi.

Cum hora sonat.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.

L V I.

COMMENDATIO AD D. VIRGINEM.

O Pijssima castissimaque virgo Maria, secundum Deum, spes mea vnicumque præsidium atque solatium: qua te fide & charitate charissimus tuus filius dilecto discipulo Ioanni commendavit, eadem & ego hodie, & semper corpus meum, & animam meam, honorem meum, meaque omnia tibi commendo; tum verò maximè, quando anima mea, ex hoc corporis ergastulo migrabit: precorque, ut custodias immunem à peccatis, offendiculis, ignominia, ira tremendi iudicij, cogitationibus inhonestis, ab omni mortifero delicto, à morte repentina, omni denique periculo corporis, & animæ itemque fame, ac bonorum. Ne finas, ô domina, ut villo vnquam delicto tua excidam gratia, vtque

vtque præterita mea scelera diluam, moref-
 que corrigam, neue amplius relabar, obse-
 crò, filium exora: quin & impetra mihi vi-
 uo, atque ad eò morienti, præfens auxilium
 contra omnes aduersitates: mihiq; apud fili-
 um dilectissimum Dominum meum IESVM
 CHRISTVM patrona sis, & aduocata fidissi-
 ma, quo in extremo illo iudicij die iustorum
 obtineam locum, Amen.

L V I I.

QVANDO PVBLICVM DEI PA-
 ram virginem salutandi signum auditur,
 vt te geris?

V Espertino quidem tempore, in Eccle-
 siastici diei exordio nimirum, memor,
 vt ad mundi vesperam, ac temporum pleni-
 tudinem, filius Dei homo sit factus, vt ho-
 minem perditum, suæ diuinitatis faceret
 confortem, flexis genibus, aut saltem nuda-
 to capite, pro more fideiũ quibuscum ver-
 sor, pro tanto beneficio, quam possum de-
 uotissimè, gratias ago: petoque patrem mi-
 sericordiarum, vt per hoc incarnationis vni-
 geniti filij sui mysterium, ac B. MARIÆ in-
 tercessionem, mentis meæ tenebras dispelle-
 re, meque ne vnquam obdormiam in morte
 sua gratia illustrare dignetur. Porrò si quid
 boni eius gratia iuuante illo die à me actum
 fit, sibi oblatum & acceptum esse velit, in
 hunc modum.

Rr 4 I. An-

1. Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto, Aue Maria.
2. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, Aue Maria.
3. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Aue Maria.

Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde: vt qui Angelo nunciante Christi filij tui incarnationem cognouimus per passionem eius, & crucem ad resurrectionis gloriã perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen,

Qui verò, cum mane rei eiusdem monemur, deuotionem excitas?

HOc diei articulo Seruator noster laboribus ac doloribus omnibus perfunctus, & morte deuicta, resurgendo vitæ viã, atque immortalitatis aditum referauit, cuius in nobis etiam è somno ad vitæ opera consurgentibus, imaginem quandam cernimus. Idcirco per hanc gloriosam filij Dei resurrectionem, ac Matris gaudia gloriam æternam depono: ac deinde vt mihi donetur talia instanti die opera perficere, quæ resurrectionis filios condecet. Idque hoc pacto.

1. Regina cœli lætare, Aue Maria.
 2. Quia quæ meruisti portare, Aue Maria.
 3. Resurrexit sicut dixit, Aue Maria.
- Deus qui per resurrectionem filij tui Domini

mini nostri Iesu Christi familiam tuam latificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius genitricem virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Quid tandem meridie?

VBI ad horam duodecimam virginem salutare solenne est, primum quidem vnigenitum Dei filium in cruce pendendē, æterno patri offero, perque ipsum mihi tantum concedi gratiæ obsecro, quo æstum diei omniaque aduersa, non constanter modo patienterque, sed & alacriter perferam: tum etiam vt in mortis hora securus hinc emigrem, memoro etiam incredibilem dolorem, quo maternum Mariæ pectus fauciatum extitit, cum filio cruci confixo, tristissima illa fidelissimaque adstetit, per quem tum desiderium mihi vt impetret precor, hac ratione.

Christus Dominus captus est in peccatis nostris, Aue Maria. *4. Thr.*

Vere languores nostros ipse tulit, Aue Maria. *Esa. 53.*

Et cum sceleratis reputatus est, Aue Maria. *Ibidem.*

Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradit nocentum, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit & regnat, in vnitæte Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Rr 5 Vesp-

Psal. 54.

Vespere itaque, mane, & meridie narra-
bo, & annuntiabo, & exaudiet vocem
meam.

Qui literas ignorant, saltem singulis vici-
bus poterunt dicere ter salutationem Ange-
licam, supra dictam intentionem implicite
habentes.

Hoc pietatis exercitium vt facillimum
est, ita maximam habet, & mouendi, & satisfaciendi efficaciam. Pijs erit valde vtile, pœnitentibus quodammodo necessarium. Op-
tandum itaque esset, vt minimum domi suæ
consistentes fideles non mente, tantum sed
& dolenti corporis compositione assidue se
exerceant; quod à deuotis, & verè pœniten-
tibus confessarius, & Catechista non magno
negotio impetrabit. Equidem etiam in pec-
catorum sordibus inueterato, exercitatio
hæc ad expianda vetera, & futura cauenda,
percommoda fuerit.

L V I I I

Q V A R A T I O N E A D S O M N V M
capiendum vesperi te comparas?

ANtequam incumbo, repeto per examen
diei ne fortè me ex hac vita nocte illa Deus
euocans, inueniat imparatum. Examen au-
tèm his quinque punctis complector.

I. Ago

1. Ago Deo gratias pro omnibus beneficijs, potissimum verò illo die acceptis.
2. Efflagito à Deo gratiam, pro vera cognitione & detestatione peccatorum, transactò iam die, commissorum.
3. Exigo à conscientia rationem de admisis præsentis die peccatis cogitatione, verbo, opere & omissione totius diei horas singulas, à mane in vesperum percurrèdo; in quo, vbi maiori discussione opus, vt in peccatis quòrum cõsuetudine laboro, seu ad quæ me procliuiorem agnosco, diligentius insisto.
4. Humiliter peto à Deo veniam admisorum peccatorum.
5. Seriò propono in posterum cum Dei gratia vitæ emendationem. In fine addo. Pater noster. Aue Maria. Qui habitat in adiutorio altissimi, Salve Regina, &c. orationem Dominicam, ad Angelum custodem aliasq; preces, quas suggerit deuotio.

Oratio cum itur cubitum.

Tibi gratias ago Pater cœlestis per dilectum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, quod me hoc die; pro tua benignitate, eustodisti: tuam deprecor clementiam, vt condonatis quæ hodie admisi peccatis, me & hac nocte ab omnibus aduersis tuearis, tibi enim commendo corpus & animam meam, & quicquid mihi à
diui-

diuina maiestate tua datum, in benignitatis tuę manu repono. Angelus tuus sanctus mecum sit, ne quando præualeat aduersum me inimicus, tuaque benedictio me semper custodiat. Per Dominum nostrum, &c.

Examine atque oratione absoluta, aditor animum pia meditatione atque oratione colligere, vito fabulas, cogitationes externas, negotiorum gerendorum sollicitudines, & quicquid coniunctionē, cum Deo impedire solet: ingrediens lectum, obsecro vt Dominus noster dormienti mihi ea nocte adesse dignetur, cum virgine matre, & Angelo custode, & sanctis omnibus, & præcipuè patronis meis singularibus, qui me custodiant & protegant.

D. Chrysoft. sententia est animaduersione dignissima peccatorem, qui somno se committere audet, antequam se Deo reconciliet, maiori se in periculo constituere, quam qui inermis cum hostibus mille armis optime instructis manus conferit.

L I X.

PERACTO QUOCVNQVE OPERE
sic licebit gratias agere.

Benedicta laudabilis & gloriosa beata Trinitas Pater Filius & Spiritus Sanctus, à quo bonum omne: cui pro omni opere laus, honor, gloria, & gratiarum actio debetur.
Bene-

Benedictum sit sanctissimum nomen Do-
mini nostri Iesu Christi, sit & benedicta bea-
ta virgo MARIA, & vniuersa curia cœlestis
nunc, & in sæcula sæculorum, condona mi-
hi clementissimè Pater Domine Deus, quic-
quid in hoc opere minus aut plus agendo
deliqui, tu fac finem obtineat fœlicè, quan-
tumuis exiguum illud sit, ac imperfectum
quicquid aut intendo, aut molior paterna
benedictione tua sanctificetur, & ad
diuinæ maiestatis gloriam ac me-
am salutem proficiat,
Amen.

*Laus Deo, gloriosissimæ Virgini Mariæ,
& omnibus Sanctis.*

F I N I S.



IN-